

Sed antequam Synopsim aggrediar, æquū esse putavi ac pœnē necessariū, quædā hoc loco Philosophiæ prodidagmata, siue proœmialia documenta, præmittere, quasi Apparatū in vniuersā Philosophiam; & aliquam veluti Manuductionem in Synopsim Aristotelis à nobis institutam: quibus quidem proœmialibus documentis, quasi lustralibus aquis nouitius lector præparatus, in Diuæ Sapientię templum, & Aristotelis sacraria religioso quodam ritu intromittatur; ne cum in Lyceum Peripateticum sibi incognitū, statim sine monito, sine cautione translatum se animaduertit, in nouum veluti orbem delatus videatur. De Philosophia igitur generatim, de quæ ad Doctrinæ Peripateticę Synopsim faciunt, ante omnia dicendum.

Apparatus siue Manuductio ad Philosophiæ Peripateticę Synopsim.

Quod præstare solent nobilissimi quiq; artifices, Pictores & Architecti, priusquam ad opus suum accedant, rei que institutæ manus admoliantur; hoc ego in Synopsi proposita faciendum iudicauit. Vt enim illi breue quoddam exemplar effingunt adumbrantve, quo futuri operis formam oculis exponant: sic & in his Philosophicę Synopses exordijs, antequam ad singulas Philosophiæ partes accurata breuitate explicandas memet accingā, totūmq; Aristotelē breuiare aggrediar; ipsius Philosophiæ typum aliquē, ac veluti compendiarium descriptionem exhibere constitui: vt intelligatur quæ sit vis vocabuli Philosophiæ, quæ subiecta notio, quæ ipsius definitio, quæ sedes, quod subiectum, quæ partes, quæ earum ratio, distinctio, ordo & cæt. quæ Philosophiæ origo, quæ methodus inuentionis, vndenam scientiarum dignitas repetatur, finis Philosophiæ, quæ & quot eius instrumenta, quæ & quot Philosophorum sectæ, an peripatetica, cuius auctor Aristoteles, sit retinenda vt omnium optima, cæteræ explodendæ; quæ sit Aristotelis methodus, stylus, oratio, quę opera, qui & quot libri. His enim ignoratis & neglectis, nō licet sine probro, & præcipitis ingenij suspicione, vterius progredi. Sistamus ergo paululum in hoc vestibulo, antequam Sapientię sacra penetralia subeamus, & Aristotelicam Synopsim exordiamur.

Philosophia, Philosophi, Sapientia & Sapientis nomen, Definitio. Dissertatio prima.

ETymon nominis si spectes, Philosophia siue φιλοσοφία, τῆς σοφίας amor est, siue studiū sapientię: si vsum scholarum, est ipsa sapientia. Philosophia enim & sapientia, vt & Philo-

sophus & sapiens, secundum comunē loquendi vsum, idem significāt. Nam qui olim σοφοὶ dicebātur, φιλόσοφοι postea modestiori appellatione vocati sūt, ad Pythagoræ exemplum, qui se, quāuis mortalium esset sapientissimus, non sapientē, sed sapientię amatorē nominauit. Vocabāt antiqui eos sapiētes, qui rerum causas tenebāt, & de Deo rebūsq; diuinis ac scitu dignissimis egregiē differebāt, vt de natura, principiis, causis rerū omnium, de cælis, elemētis, plantis, animalibus, de generatione, & creatione mūdi, eiusq; administratione, de fato, de diuina prouidentia, de humana beatitudine, de virtute & alijs eiusmodi: vt certē sapiētes nō alij dicerētur, quām ij qui essent doctissimi, & magnarū rerum cognitione ac scientia perillustres. Sapientiam enim in rerum altissimarum intelligentia & scientia positam esse veteres existimarunt.

Est tamen Sapientię nomen multis modis vsurpatum. Primò enim sumitur pro prudentia siue recta ratione bene viuēdi, vel reb. suis consulēdi, quā seruāt homines in rebus agēdis; vt si regē sapientem voces, quia prudētet regnēt & regni sui rebus bene cōsulat. sic sapientes, vno verbo, dicūtur qui prudētes sūt.

Secundò pro excellentia in quauis arte. sic Polycletus sapiens statuarius dicitur, id est, excellens & peritus. Cap. 7.
l. 6
Ethic.

Tertiò pro prima philosophia siue scientia præstantissima, quæ Theologia est siue Metaphysica. Sic solus Theologus siue Metaphysicus sapiens dicitur. Cap. 21
l. 1.
Metaph.

Quartò pro absoluta perfectaque rerum omnium cognitione, quæ per sciētias artesque omnes comparatur. Et Sapiētia quidem hoc postremo modo sumpta, eadē est cum Philosophia: quam sic de finiendam censeo:

Sapientia, siue, Philosophia est scientia rerum omnium. Vel, si mauis, series & cōplexio sciētiarum artiumque omnium. Neq; enim nomine Philosophiæ vnā vel alteram scientiam intelligere oportet, sed omnium omnino sciētiarum aceruum & compagem; quam qui assequutus est, nominatur Philosophus vel sapiens. nam qui vnā vel duas sciētias tenet, vt Dialecticam, Arithmeticā, is absolutē philosophus non dicitur; sed qui omnes omnino callet, nihilque eorū quæ sciri possunt, ignorat: dicitur ergo ille Dialecticus, qui artē nouerit bene subtiliterque disserēdi; Arithmeticus, qui numerandi; & vterque ex parte philosophus: at consummatus Philosophus perfectusq; & absolutē sapiēs nemo dici propriè debet, nisi diuina humanaq; omnia nouerit, & sciētis artibusq; fuerit abūdē informatus.

Rectē ergo à veteribus Philosophia dicta est rerum diuinarū & humanarū scientia: siquidē per res diuinas & humanas, omnes intellexerūt. Quicquid enim est, vel cadit sub humanam contemplationē, vel sub actionē, illud diuinum habetur, hoc humanum. Plato.
in
Theæt.
M. tall.
2. Tusc.
cul,

Lib. 3.
de Rep.
Arist. c.
5. lib. 2.
Polit.

templatio quippe Philosophum reddit diuiniorem; actio verò, puta iustitiæ, humanis legibus alligat & astringit. Est enim intellectus theoreticus practico præstantior; quia contemplatio actione nobilior est. Hinc eleganter pro suo more Plato dixit ingenia ad contemplationem nata, videri ex auro purissimo conflata; quæ verò ad res forenses, ex argento; quæ denique ad mercaturam, & mechanicas atque illiberales operas, ex plumbo vel ære, aut ferro. Sanè verò Philosophia homines dirigit & informat ad sapienter contemplandum, prudenter agendum, solerter efficiendum. Rectè ergo definita est per res omnes diuinas & humanas; cum quicquid est, vel nobis proponatur contemplandum per philosophiam theoreticam, siue scientias contemplantes, vt Physicam, Metaphysicam: vel agendum per Philosophiam practicam siue scientias actiuas, putà Ethicam, Politicam; vel efficiendum per Philosophiam Poeticam, siue artes propriè dictas; vt Chirurgiam, Picturam, Architecturam.

Est verò Philosophia omnis scientia: quia veram, certam claramque rerum cognitionem inducit per causas: sed minus propriè nomen scientiæ tribuitur artibus, vt & Philosophiæ. Artes enim potius ad effectum rerum externarum, quàm ad causarum scientificam notitiam referuntur; suntque de mutabilibus, & quorum principium in artifice est: scientia verò est de immutabilibus & æternis, quorum principium non in sciente, sed in ipsis rebus insitum est. Constat enim, res naturales, verbi gratiâ, quæ ad scientiam Physicam spectant, non dependere à nobis vt sint vel fiant, artificiales autem, vt domum imaginem, poëma, dependere: disciplinæ verò morales, scientiæ quidem titulum iure suo & magis propriè quam artes sortiuntur; quia causas bonitatis & malitiæ actionum humanarum scrutantur & cognoscunt, habentque proprias suas demonstrationes; sed quia feruntur magis ad actionem virtutis, & ad querendam fœlicitatem, quàm ad rerum contemplationem, certamque causarum comprehensionem: ideo non tam propriè vocantur scientiæ, quàm contemplatiue, quæ vnum sibi propositum habent scopum, vt causas rerum perquirant, inueniant, comprehendant, solæque & scientifica veritatis cognitione contentæ sint, nihil præterea requirentes.

Scientia definitur cognitio vera, certa, clara, rei per propriam causam. Vt cum cognoscis diem esse, quia Sol lucet in hemisphærio; ignem vrere, quia summè calidus est, & excellenter siccus; hominem esse capacem Philosophiæ. vel disciplinarum, quia est compos rationis; Lunam pati eclipsim, quia terra interposita est inter ipsam & solem; corpus occupare lo-

cum, quia magnitudinem habet, suasque dimensiones. nam in his exemplis redditur causa propria rei verè, certo & clarè.

Quod si Philosophia scientia est, vt est, seu potius scientiæ omnes: profectò philosophia, Sapientia, & Scientia, hoc loco idem significabunt.

Vocat Aristoteles Philosophiam *cognitionem rerum vt sunt*; atqui res sunt per suas causas ergo Philosophia nouit res per causas: atque adeo scientia erit, vel potius scientiæ omnes ordinate, siue compages & ordo scientiarum omnium.

Mater Philosophiæ dicitur admiratio. quia *propter admirationem*, inquit Aristoteles, *ceperunt homines philosophari*: admiratio autè tria inuoluit, notitiam effectus, ignorantiam causæ, desiderium scientiæ. Enim vero prisca illi sapientes naturales quosdam effectus videbant, vt eclipsim Lunæ, sed causas ignorabant, quas tamen scire cupiebant maximè quare admirantes, causas perquisierunt, quas cum tenuerunt & intellexerunt, admirari desierunt, & perfecti Philosophi, id est, scientes, sapientesque, habiti fuere. causam autè eclipsis Lunæ animaduertentur esse terræ interpositionem, inter ipsam Lunam & Solem. Hinc enim umbra exiens, globum Lunæ tegit & obscurat. Hac ergo cognitâ causâ quieuerunt Philosophi, nec amplius eclipsim admirati sunt: cognitio enim rerum causis, cessat admiratio. Idè in aliis fecerunt: rectè ergo concluditur, Philosophiam in notitia causarum consistere. Vnde cum notitia hæc admirationem excludat, dixerunt veteres finem Philosophiæ esse *οὐδὲν θαυμάζειν*, nihil admirari; vnde suavis illa animorum quies ac dulcedo, puraque ac beatissima voluptas consequatur.

*Nihil admirari prope res est vna, Numinis,
Solæque, quæ posit facere & seruare beatum.* Horat.
Dicta est à Platone Philosophia, *μελέτη τῆς θανάτου, καὶ χειρισμὸς τῆς ψυχῆς ἀπὸ τοῦ σώματος*, meditatio mortis, & separatio animæ a corpore, ab aliis verò, *τῆς βίου νόμος*, vita lex; studiū corrigendæ mentis *καὶ τῆς ψυχῆς ἀρρώσθημάτων φάρμακον* medicina morborum animi, appetitio rectæ rationis: assimilatio cum deo. quia scilicet Philosophia animum quodammodo separat, & quadam velut metaphorica morte abiungit à corpore, dum à sensuum blâditis ac voluptatibus, & corporalis vitæ officiis mentem auocat, adducitque ad virtutis austeritatem, & quasi per ectasim rapit eleuatque ad assiduum veritatis contemplationem. Item quia animi vitia emendat, vitam regit, cupiditatum flammam extinguit, deprauatos affectus sanat, fœlicitatem conciliat, sui que cultores, nempe Philosophos, Deo Optimo Maximo reddit tandem simillimos. quæ est Philosophica illa apotheosis, summus sapientiæ apex, & fastigium, quo nihil altius, beatius, diuinius.

*Sedes siue subiectum Philosophiæ.
Dissertatio secunda.*

SOLUS homo inter animalia, artium scientiarumque capax est, quas idcirco obtinet disciplinâ. quare solus homo ex animalibus Philosophiam consequitur; estque homo, quâ homo est, id est, ut mentis compos, sedes & subiectum Philosophiæ. Enim vero brutæ animantes scientias non adiscunt, nec scire appetunt, quia non possunt: cû mente siue intellectu careant, qui solus Philosophiæ capax est, propriâque sedes scientiarum. Est quippe Philosophia lumen mentis ad rerum omnium clarâ intelligentiam comparatum. Carere autem animantes intellectu nemo non dixerit, nisi qui se eiusdem cum brutis nature esse dixerit. *Nolite fieri sicut equus & mulus in quibus non est intellectus.* Ac licet animantium quædam, ut equi, canes, simiæ, elephanti, dociles sint ad cursum, saltationem, venationem, & similia; hæc tamen docilitas intelligendi facultatem non necessario arguit, nec ullam ad verè philosophandum aptitudinem: sed sensum, memoriâ sensitivam & imaginationem in illis quàm in cæteris indocilibus perfectiorem. Neque enim propterea definiunt canes aut equi, diuiduntur, ratiocinantur, aut aliud mentis & Philosophiæ opus exercet: sed solo sensu doloris aut voluptatis, vel metu verberum, vel spe pabuli incitata ac veluti coacta, hoc aut illud sine ratione, sine consilio operantur. Ac dicuntur quidem apes & formicæ prudentes, non quod ex vera prudentia operentur, resque suas rationis iudicio disponant, sed ex quadam duntaxat prudentiæ humanæ imitatione, quæ non tam prudentia quàm instinctus nature, aut umbra prudentiæ nominatur. Tribuit enim natura cuique rei suæ conseruationis & incolumitatis appetitum; qui quoniam in apibus & formicis, aliisque consimilibus magis sese profert ac elucescit; ideo apibus insita dicitur quædam prudentiæ & rationis velut umbra, id est, sagacitas quædam, vel instinctus naturalis, quo ad ea quæ sibi utilia sunt, sponte feruntur.

Solus igitur homo, arte, id est Philosophiâ, viuunt, *καὶ λογισμοῖς, & ratiocinationibus*, cætera verò animalia imaginationibus ac memoriis, inquit Aristoteles.

Est verò in Deo Opt. Max. mirabili modo Philosophia siue scientia rerum omnium, & altissima sapientia, per quam Deus, mens illa prima siue intellectus purissimus, perfectissimus, potentissimus, omnia scit, videt, comprehendit, quæ sunt, fuerunt, erunt, & esse possunt. Sed Philosophia hæc infinitis partibus humanâ excedit, cû sit Deo ipsi congenita, non labore quæsitâ, sed naturalis; non creata nec facta, sed sempiterna non discursus

siua aut ratiocinatrix, sed simplicissima: non finita, sed infinita & incomprehensibilis: denique ipse Deus quatenus seipsum & omnia perfectissimè, simul ac semel, vnico eoque simplicissimo ac æterno intuitu comprehendit. *Omnia quippe nuda & aperta sunt oculis eius*, ad hebr. inquit Apostolus. Ita tamen ut non particulatim vel sigillatim omnia Deus videre credatur, ac velut alternante conceptu hinc illuc, inde huc, inquit diuus Augustinus, *sed omnia simul & semel, ac veluti instanti & momento perpetuæ æternitatis.* At sanè hoc humanæ menti omnino est denegatum, quæ scilicet post principia cognita discurret ad conclusiones ratiocinando, & alia post alia successiuè cognoscit.

Est etiam Angelorum & Cacodæmonum (qui à Peripateticis Mentis separatae, vel Intelligentiæ, ob perfectiorem intelligendi modum appellantur) Philosophia longè adhuc sublimior ac præstâtior quàm Philosophia hominum. Sic enim subtilissimi illi spiritus res omnes cognoscunt, earumque causas penetrant, ut videant effectus in causis suis: omniaque in momento clarissimè intelligant sine ratiocinatione & discursu: idque per rerum omnium species ac similitudines, quas initio creationis, deus eis impressit. Etenim Angeli & Dæmones à creatione sua mirè docti sunt & scientes. hinc multa & mira à Dæmonibus interdum reuelantur hominibus. Licet enim Dæmones in lapsu diuinam gratiam amiserint, non tamen scientias sibi congenitas & naturales perdidit. *Naturalia enim dona*, inquit diuus Dionysius, *integra & splendidissima remanserunt.* Et scientiæ quidem ideo sunt Angelis & Dæmonibus naturales, nec proprio labore acquisitæ, quia mentes sunt integræ, puræ & completæ, ad quarum naturalem perfectionem spectat, ut perfectissimè res omnes intelligant: sicuti docent Philosophi ad naturalem animalium perfectionem pertinere, ut sensum habeant. Vnde de Angelis eorumque intelligentiâ iudicare licet, in quibus hoc Scientia est, quod in animali sensus esse perhibetur.

Videt igitur scitque omnia Deus ab æterno simul & semel, infinitaque comprehensione: vident verò Angeli effectus in causis, conclusiones in principiis, sine discursu aut ratiocinatione: homines autem effectus per causas cognoscunt, & conclusiones ex principiis ante intellectis deducunt ratiocinando & cum discursu. Atque in eo consistit modus & ratio humanæ Philosophiæ, quæ ideo ratiocinatrix & discursiua dicitur: Angelica enim intellectiua est, Diuina autem suprema & infinita. Quod si Philosophia quomodo cunque sumpta, etiam ut Deo conuenit, nature intelligenti qua intelligens est, competat: rectè profectò concluditur, intellectum siue mentem, sedem esse propriam, siue, ut

Scholæ loquuntur, subiectum Philosophiæ ac scientiarum. Sed hoc loco de humanâ Philosophiâ sermo est.

*Partes siue Diuisio Philosophiæ.
Dissertatio tertia.*

SI in commune bonum humani generis scota nata est, ut est, atque inuenta Philosophiâ; neque ea alium finem sibi propositum habeat, quàm ut hominem quâ homo est, perficiat & exornet; profectò quot modis homo, ut sic, perfici & exornari poterit, tot sibi Philosophiæ partes & officia vendicabit, quibus suum illum finem consequatur. At homo non est nisi per rationem siue mentem; ita ut si quid fortè ab homine fiat præter rationem, aut sine eius consilio, ac directione, id non humanum sed belluinum potiùs vel naturale censeatur. Itaque quot modis mens perfici poterit, tot erunt Philosophiæ officia, partésque diuersæ: At tribus modis mens generatim perfici potest, non pluribus, non paucioribus: quippe quæ tribus omnino modis suo munere absolutè defungatur, nempe contemplando, agendo, faciendo. Vnde etiam mens ex capite primo, libro sexto, Metaph. triplex constituitur, θεωρητικὴ siue *contemplatrix*, πρακτικὴ siue *actiua*, ποιητικὴ siue *factiua* vel *effectrix*. ergo Philosophiæ generali diuisione erit triplex, siue in tres partes generatim distributa, scilicet in Theoreticam, quæ mentem contemplatricem; in Practicam, quæ mentem actiuam; & Poëticam, quæ mentem factiuam perficiat & illustret.

Philosophia Theoretica est, cuius finis est veritas, siue veritatis nuda solâque contemplatio.

Philosophia practica, cuius finis est praxis, id est, actio interna, libera, ex electione profecta, & ad bonum directa.

Philosophia Poëtica, cuius finis est poësis, id est, effectio, siue actio externa, vel externum opus ac sensui obuium, ut pictura, domus.

Theoretica triplex. Physica, Mathematica, Theologia.

Physica est scientia rerum naturalium, ut naturales sunt, contemplatrix. Vocant verò Philosophi res naturales eas quæ materia & forma constant, possuntque moueri vel quiescere; ut sunt cœli, elementa, plantæ, animalia, omniâque corpora, quorum cognitionem cum tantùm quærat Physica, neque modum doceat quidquam efficiendi, in albo scientiarum Theoreticarum numeratur. Nam sanè cœlos, elementa, metalla, animalia, tantùm contemplatur Physica, non efficit, nec po-

test efficere, cum rerum eiusmodi principium sit in ipsis rebus, non in mente contemplante. Vnde patet mentis theoreticæ discrimen à practica & poëtica. In hac enim vtraque principium est rerum agenda-rum & faciendarum, cum ea quæ aguntur fiuntque ab hominibus, ab ipsis depēdeant, quatenus mente practica vel poëtica instructi sunt.

Physicæ propago & ramus est Medicina. Hæc enim à Physica obiectum principia-que sua desumit, nempe corpus humanum, & axiomata quæ ad ipsum pertinent; definitur enim scientia corporis humani prout sanari potest: dicitur verò medicus ibi vel hinc incipere, ubi desinit Physicus, quia scientia Medicinæ quasi filia Physicæ, eius conclusiones assumit, ut iis tanquam Principiis suis bonisque maternis v-tatur.

Arist. c.
1 lib de
sensu &
sensili,
& libro
de res-
piratione.

Et Medicina quidem ab Hippocrate Coo inuenta, à Galeno Pergameno mirè locupletata & illustrata, in quinque partes distribui solet; Physiologiam, quæ hominis naturam, vires, functionesque considerat; Pathologiam, quæ morbos & affectus præter naturam; Prognosticam, quæ præsagiorum de morte & vita leges decernit; Hyginem, quæ salubrium vsu morbos arcet & vitam custodit; Therapeuticam, quæ morbos adhibitis conuenientibus remediis curat ac depellit: Quàm postremam partem diuidunt medici in Diæticam, quæ victus rationem præscribit; Pharmaceuticam, quæ medicamenta adhibet, ut potiones, enemata, Catapotia, &c. Chirurgicam, quæ manus opera cum opus est, & ex medici præscripto secat, incidit, vrit, extrahit, fricat, ferit, vngit, aliâque officia ad morbos profligandos pertinentia exequitur.

Mathematica ab Euclide & Archimede inuenta, est scientia quantitatem considerans. Quantitas verò duplex. Continua, ut magnitudo; Discreta, ut numerus: quare Mathematica generatim est duplex, Arithmetica vna, quæ quantitatem discretam, siue numerum considerat: Geometrica altera, quæ magnitudines.

Arithmeticæ soboles est Musica, quia considerat numerum, sed diuerso modo: nam Arithmetica numerum ut numerus est, absolutè contemplatur; Musica autem numerum ut harmonicus est, & sonorum suauem concentum adiunctum habet.

A Geometria deriuantur Astronomia, & Optica, ut riuuli à fonte, rami à trunco.

Astronomia à Ptolemæo inuenta, scientia est magnitudinem cœlorum ac syderum, eorumque motum contemplans.

Optica est scientia magnitudinem contemplans, ut visu percipi potest: huius pars est Catoptrica, quæ tota in speculis consumitur, unde nomen habet.

Theologia duplex est, Supernaturalis una siue Christiana, quæ scientia est omnium præstantissima à Deo hominibus reuelata, Deum ipsum reuelatum, resque omnes ad Christianam fidem spectantes cognoscens. Theologiæ supernaturali adiungitur Iuris Canonici ac Decretorum scientia, quæ Ecclesiæ politiam & regimen tradit: Naturalis altera, ab Aristotele, (ut & aliæ nobiliores Philosophiæ partes,) inuenta, quæ vulgo Metaphysica dicitur, definiturque scientia inter humanas & naturales excellentissima, Deum & intelligentias, resque à materia separatas, siue (ut scholæ loquuntur,) ens quatenus ens est, contemplans.

Practica Philosophia quæ vulgò Ethica, idest, moralis, nominatur, eo quòd mores siue actiones voluntarias hominum dirigat ad felicitatem summamque bonum; est etiam triplex, pro triplici humanæ vitæ conditione, & statu. Homo enim vel solus viuit ut monachus, vel eremita in solitudine, vel cum uxore, liberis, seruis, in familia; vel cum ciuibus in republica, ciuitate, regno: Quare ex primo viuendi modo constituta est Monastica, quæ vnius hominis in solitudine viuentis mores instruit: ex secundo Oeconomica, quæ hominis in familia viuentis actiones dirigit: ex tertio denique Politica, quæ hominis in ciuitate degentis vitam gubernat & moderatur.

Ad Politicam pertinet Iuris prudentia, quæ est iusti & iniusti scientia, ad hominum gubernationem instituta, ut suum cuique ius reddatur. Moralibus scientiis assistit & famulatur Prudentia, dum ex ad praxim referuntur: est enim Prudentia vitæ magistra, & recta agendi ratio, ex qua moralium disciplinarum & Prudentiæ affinitate ac nexu, ipsæ morales disciplinæ interdum Prudentiæ nominantur, ut non rarò videas definiri Philosophiam, compagem ordinemque Scientiarum, Prudentiarum & Artium.

Philosophia Poëtica est ars propriè dicta, quæ definitur habitus, rectaque mentis dispositio siue habilis ad aliquid vera cum ratione efficiendum; ut ars pingendi in mente pictoris, ars ædificandi in mente Architecti.

Sed artis vocabulum homonymum est ac multiplicis sensus. Interdum enim quamcumque animi dexteritatem, solertiam, industriam, imò & sagacitatem, quæ in bestiis elucet, significat: Inter-

dum confunditur cum nomine Scientiæ & Disciplinæ, ita ut ars quamlibet doctrinam denotet: saepius sumitur pro Scientia directrice, ut est Dialectica, quæ mentem dirigit ad bene differendum. Item pro Practica, ut est Ethica, cum scilicet dicitur ars bene viuendi: Sed propriè & ad Aristotelis mentem cap. 4. lib. 6. Ethicorum, est recta ratio aliquid efficiendi, vel *ἡ ἐν τῷ μὲν λόγῳ ἀλλοθὺς ποιητική*. efficere verò, est actionem externam edere, vel opus; ut saltare, ædificare.

Ars ergo propriè sumpta duplex est, sermocinalis vna, realis altera.

Ars sermocinalis sermonem dirigit; (de externo loquitur; internum enim siue cogitationem, vel actionem mentis dirigere, Scientiæ est Dialecticæ, quæ ars non est propriè, cum circa actionem opus-ve externum, saltem per se, non versetur;) ut Grammatica, quæ est ars purè loquendi, & Rhetorica, quæ ars ornatè & copiosè dicendi.

Ars realis opus externum molitur, rectèque componit, ut Pictura imaginem, Architectura domum.

Quæ verò artes ad animi cultum pertinent, suntque honestiores ac præstantiores, ex liberales appellantur. At quæ versantur in opere mercenario & seruili, quæ maximè corpus exercetur, illiberales & mechanicæ.

Artes liberales septem vulgò recensentur,

Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria, Astronomia.

Illiberales totidem, Agricultura, Venatoria, Militaris, Fabrilis, Chirurgica, Textoria, Nautica. Et Liberales quidem hexametro sequenti significantur, Illiberales pentametro.

Lingua, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra,

Rus, nemus, arma, faber, vulnera, lana, rates.

Sed quinque postremæ liberales in choro Scientiarum propriè dictarum reponuntur: tamen Aristoteles nomine Scientiæ Artes omnes, etiam Grammaticam, honestare & insignire videatur, ut legere est in Categoriis, & initio sexti Metaph. cum Scientiam diuidit in contemplantem, actiuam, & effectricem. Sed ibi usurpat Aristoteles Scientiæ nomen in largiore significato prout idem significat, quod Philosophia liberalius accepta.

Porro ex hac serie & quasi catalogo Scientiarum Artiumque omnium, apparet, Dialecticam non recenseri inter Theoreticas Scientias, nec Practicas; imò nec inter artes propriè dictas: nempe quia

ab his omnibus differt. neque enim versatur circa actionem externam vel opus sensibile, ut ars. Præterea docet modum conficiendi definitiones & syllogismos: quæ nota à Theoreticis distinguitur, quæ nihil conficiendum docent: denique non agit de moribus aut actionibus humanæ voluntatis, quæ solæ nominantur praxes: Vnde à Practicis differt. Restat itaque ut Dialectica vocetur Scientia organica & instrumentalis, ab omnibus aliis Philosophiæ partibus distincta, quod sit commune earum instrumentum. Vnde etiam vulgè organum Philosophiæ nuncupatur: Vel certè neutra, si cum Theoretica Practicaque Scientia comparatur, quod subindicat Aristoteles primo Topicorum, ubi Problemata distinguit in Theoretica, Ethica & Neutra: per neutra enim intelligit dialecticam.

Cap. 10.

Theoremata siue Hypotheses de Artibus & Scientiis generatim. Dissertatio quarta.

Documentum est illustre Aristotelis ex cap. 4. lib. 2. de anima desumptum, differre facultates & habitus per objecta sua, siue res, circa quas agunt & negotiantur: Ita ut ex facultates seu potentiae, itemque habitus siue promptitudines ad aliquid agendum, à se inuicem differant, quæ circa diuersa objecta feruntur.

Est verò Facultas, qualitas naturaliter insita, ad agendum vel patiendum comparata: aut, si mauius, potentia siue vis aliqua agendi à natura tributa; ut est visus, qui definitur facultas videndi, perfectis animalibus naturaliter insita; auditus, qui facultas audiendi, & cæteri sensus: Item intellectus qui facultas est intelligendi.

Habitus autem est qualitas acquisita, eaque firma & constans, qua disponitur facultas naturalis ad bene vel malè operandum: ut virtus, verbi gratia, Iustitia quæ voluntatem animumque disponit & inclinat ad ius cuique tribuendum: Temperantia, ad sobriè viuendum: Item Scientia, quæ intellectum disponit dirigique ad certam claramque rerum intelligentiam, causarumque notitiam: Et prædicti quidem habitus facultates suas disponunt ad bene operandum: Vitia autem iis opposita, ad malè operandum inclinant, ut iniustitia, gula, error: hinc distinguuntur habitus in bonos & malos; falsos & veros; mentales & morales.

Obiectum vocant Philosophi id omne quod obiicitur cognoscendum vel efficiendum facultati vel habitui: vel clariùs, id circa quod occupatur facultas vel habitus, diciturque etiam subiectum & materia circa quam: sic color est obiectum visus; odor, olfactus: res naturales, Physicæ: Deus, Theologiæ: ius, iustitiæ: imago, picturæ: ædificium, architecturæ.

Atqui sensus, appetitus, vis motrix, intellectus, voluntas, memoria, sunt facultates siue potentiae naturales. ergo differrent à se inuicem per objecta, ut per sensibile, appetibile, locum, intelligibile, volubile, memorabile.

Imò verò artes etiam omnesque scientiæ sunt habitus mentis siue intellectus: ergo differrent artes & scientiæ per objecta sua: sic ars pingendi differt ab arte ædificandi, quia illa circa imaginem tanquam proprium obiectum versatur; hæc circa ædificium: sic Physica differt à Metaphysica: quia illa circa res corporeas & sensibiles, materiaque constantes occupatur; hæc circa Deum, resque diuinas, spirituales & materiæ expertes.

Sed habitus mentis quibus verum certò & clarè cognoscimus, sunt quinque, inquit Aristoteles lib. 6. Ethic. *ἡξεν, ἄνθρωπος, ἡ δὲ ἐπιστήμη, ἡ σοφία, ἡ τοῦ θεοῦ, ἡ ἀρετή, ἡ ἀρετή, ἡ ἀρετή, ἡ ἀρετή.* *Ars, scientia, prudentia, sapientia, & intelligentia.* sunt enim hæc quasi quinque lumina spiritalia, quibus mens illustratur, ut veritatem semper ac sine errore intueatur. Fieri siquidem potest, inquit summus præceptor, ut falsum suspicione & opinione dicatur: at quinque illi habitus nunquam nisi verum enuntiant, siue affirmando siue negando. Et horum quidem communis notitia in his philosophicis institutionibus sanequam anticipanda est ac prælibanda, quòd Philosophia suo ambitu omnes illos habitus complectatur. Artem quidem, quæ est ipsa philosophia poëtica: Scientiam, quæ est cognitio causarum sine qua non subsistit Philosophia: Prudentiam, quæ ad philosophiæ practicæ & moralis exercitium, ac beatitudinis adeptionem, planè est necessaria: Sapientiam, quæ est caput philosophiæ, id est, Metaphysica siue Theologia: intelligentiã denique, quæ principiorum quibus scientiæ fundantur & Philosophia omnis innititur, veritatem ac certitudinem penetrat ac comprehendit.

Ars ergo propriè dicta differt à scientia Theoretica, quòd hæc solam veritatis cognitionem inquirat; Ars verò actionem & opus: à Practica, quòd hæc actiones internas dirigat; Ars externas.

A Prudentia, quòd hæc mores vitamque instituat ad id quod iustum

Cap. 3.

Ibid.

honestumque est, & cum virtute coniunctum; Ars de moribus nihil dicat, nec eos dirigere curet. Quot enim videmus eximios artifices, ut insignes statuarios, pictores, architectos, qui licet in arte sua plurimum excellant, impii tamen sunt gaueones, & scelerati?

A Sapia, quod hæc sit rerum altissimarum & æternarum theoria & comprehensio; constetque scientia simul & intelligentia rerum diuinarum: Ars verò res humanas tractet & mutabiles: quæ scilicet ab hominibus aliter atque aliter fieri possint: & quarum principium sit in artificibus, non in ipsis rebus: ex capite primo libri sexti Metaphys.

Denique ab Intelligentia, quod hæc sit habitus principiorum, id est, certa claraque cognitio veritatis axiomaticum & propositionum certissimarum, quibus scientiæ nituntur & subsistunt: Ars verò ad actionum operumque suorum leges, præcepta & executionem tota feratur. Quo loco obseruandum, principium esse duplex, rei scilicet, ut est materia & forma, respectu corporis naturalis: & cognitionis, ut est propositio certa & indubitata in scientiis: ut omne totum est maius sua parte: hic enim sermo est de principiis cognitionis, siue complexis; non de principiis rei, siue simplicibus.

Et hæc quidem discrimina habituum mentis petuntur ab obiectis, ut notissimum est.

At in obiecto duo distinguunt Philosophi: Materiale scilicet, quod aiunt esse rem, quæ consideratur vel fit; & Formale, quod vocant rationem siue modum quo res ipsa consideratur. Ab utroque igitur facultatum & habituum differentia petuntur; sed maximè à formali: id est, à diuersa considerandi ratione ac modo, sic enim Musica & Arithmetica scientiæ diuersæ sunt, licet circa idem obiectum materiale, nempe numerum, occupentur, nempe quia diuersa est numerum considerandi ratio in vtraque. Arithmetica siquidem numerum absolutè ut numerus est contemplatur, abstrahitque ab omni qualitate sensibili; Musica autem non sic, sed ut sonorus est & harmonicus. Quare differunt Musica & Arithmetica, non materiali sed formali obiecto. Pari iure Physica & Medicina corpus humanum considerant, herbas etiam, metalla, lapides, elementa, sed sub diuersa ratione formali. Physica quidem, ut simpliciter sunt res naturales, principiumque motus & quietis in se continent: Medicina

verò, ut ad hominum sanitatem referuntur. Sic denique ars frænefactoria, & ais equestris frænos tractant, sed diuersa ratione ac fine. Illa quidem ut simpliciter frænos faciat; hæc, ut iis utatur ad regendum equum.

Finis artium est hominum utilitas & iucunditas. Ideo Magia, Præstigiatrix, Fascinatrix, titulum artis non merentur: quia damna & noxas hominibus inferunt. vnde rectè Lucianus, *ἡχρη ὅτι ἐν σπουδαῖς καταλήσκει τὴν ἐπιθυμίαν ἀμείων, ἀπέστειν τὸν πόνον διὰ τὴν ἐπιθυμίαν.* Ars est collectio & series notionum ac præceptorum, experientia & exercitatione cognitorum ad finem vite utilem. Tolle enim necessitatem, utilitatem, vel honestam voluptatem, non erit profectò quòd tanto studio tantoque labore artes inueniantur.

Quis expedit psittaco suum xanthum?

Et picas docuit nostra verba conari?

Magister artis, ingenique largitor

Venter, negatas artifex sequi voces.

Persius in prologo.

Hinc enim quæ artes visæ sunt olim humanis vñibus magis necessariæ, & quæ commoda plura maioraque aduehebant, ex prius inuentæ sunt, ut Agricultura, Pistoria, Culinaria, Architectura, Venatrix, Piscatrix, Medicina, Textoria, Sutoria, & fabriles omnes. Hæ enim artes panem nobis subministrant, esculenta & potulenta omnis generis, domum, sanitatem, vestes, calceos, supellectilem ligneam, ferream, fictilem, stanneam, sine quibus vita humana stare non potest. Et illæ quidem artes primò inuentæ, dictæ sunt artes Necessitatis.

Postea verò comparatis necessariis, opportuniore & commodiore ingeniose quæsitæ sunt per artes commoditatis. ut quia videbatur equitatio opportuniore, quàm pedibus incedere; & corporis exercitatio salubris & iucunda, ideo ars equitandi, omnesque Gymnasticæ inuentæ sunt.

Ex his quidem successere artes voluptatis, ut Musica, Citharistica.

Tandem excogitatæ sunt artes exornatoris, quæ scilicet totæ ad vitæ humanæ ornamenta referuntur: ut Pictura, Statuaria, & consimiles.

Inter scientias verò primum in usu fuerunt practicæ, ut Morales, quæ scilicet ad vitam rectè honestèque degendam pertinent, & potissimum ad iustitiæ cultum, nempe quia humanæ societates non sine iustitiæ legibus gubernantur.

Grammatica deinde secuta est, quæ sermonem dirigit, sine quo maiores scientias non licet addiscere.

Ordo Artium.

Ordo Scientiarum.

Cap. 1. &
2. lib. 1.
Rhetor.

Tum Rhetorica, quæ sermonem ornat & eloquentiæ mater est, accersita fuit: simulque Dialectica: cum Rhetorica & Dialectica etiam Aristotelis iudicio affines sint ac veluti sorores.

Dialectica, inquam, sine qua nihil exquisitè saltem ac perfectè sciri potest; quæ nimirum formulas modosque sciendi exhibeat.

Tandem Scientiæ principes inventæ fuerunt Mathematicæ, Physica, & domina omnium Theologia. Et hæc quidem disciplinæ præstantiores, vocari solent scientiæ honestatis: Artes igitur omnes ad humanæ vitæ necessarios usus, iucunditatem & ornamenta referuntur: Scientiæ verò ad splendorem & honestatem. unde in doctos & sapientes gloria honorque redundat, qui ideo artes scientiasve alere dicitur. *Honos alit artes, omnesque accendimur ad studia, gloria,* inquit Marcus Tull.

Ars naturam adiuuare ac perficere dicitur, ut Medicina, Saltatoria, Musica. quia ubi natura deficit, supplet ars defectum.

Lib. 2. Physic. 8. *ὅτι οὐκ ἔστιν ἡ φύσις ἀδύνατον ἀπορροῦσαι τὸ πλεονέκτημα. Omnino ars, inquit Aristoteles, quædam absoluit perficitque, quæ natura non potest efficere & completere.*

Ideo rectè Antiphon, apud Aristotelem, *πῶς ἴδωμεν ἄνθρωπον ὡς μηχανικῶς.*

In Mechanicis. *Arte superamus, inquit, ea quibus à natura vincimur: quod est sanè verissimum.*

Scientiæ enim quædam emendant errores & vitia naturæ nostræ, ut Dialectica & Ethica.

Arte tamen potentior est natura. Hæc enim rebus tribuit esse simpliciter; Illa eadem dirigit & exornat. Sic natura corpus humanum animamque rationalem (quam Deus infundendo creat & creando infundit) cum naturalibus suis donis & facultatibus gignit procreatque. Artes verò corpus & animam ac vtriusque facultates perficiunt & exornant.

Quod si natura omni ex parte perfecta est, eam tunc ars, quasi simia, imitari & repræsentare conatur: Ideo addidit Aristoteles Physicorum loco citato, *τὸ δὲ μίμησις, quædam autem ars imitatur; supple ea quæ in naturâ perfecta sunt.* Imo vero licet naturæ opeta perfecta satis absolutaque non sint, ea tamen, quocumque se habeant modo, artes quædam graphicè exprimunt, ut Pictura, Statuaria. Artifex enim quod in natura videt, id ipsum siue pulchrum sit siue deforme, perfectum siue imperfectum, pari arte & industria potest repræsentare. Aiunt ex umbris, Picturam fuisse excogitatam; ex antris naturalibus, ædes siue Architecturam; ex avium volatu, vela navium; ex piscium pinnis, remos; ex caudâ, gubernaculum.

Deus creat, Natura generat, Ars con-

cinnat, disponit, expolit, illustrat. Deus enim ex nihilo res producit, Natura ex præiacente materiâ, ut ex semine lactucæ, lactucam; Ars verò corpora naturalia, lignum, lapidem, aurum, integra assumit, ut ex his certo modo concinnatis ac dispositis, sua opera molitur, & construat, cathedrâ scilicet, domum, calicem, vestem. Siquidem ars certâ ratione purgando, dolando, poliando, tornando, adiuciendo, detrahendo, res antea naturales, reddit artificiosas, & ornatiores.

Natura in suis operibus non deliberat, neque etiam Ars, inquit, Aristoteles. Nam cum corpus infantuli natura in matris utero format, non deliberat nec consilium capit, an cor, an hepar, an cerebrum, ossa, cartilagine, nervos debeat procreare, sed sine mora consilii, partes corporis necessariò procreat. Sic etiam ars scribendi, verbi gratia, non deliberat, an in scribendo hoc nomine Plato, debeat scribere p. l. a. t. o. neque etiam quam primam litteram scribat; sed necessariò & sine prævia consultatione scribit, Plato. primo, p, secundo, l, & ita consequenter. Item Architectura in ædificando, non deliberat an iacienda primò sint fundamenta, an extruendi parietes, an tectum superponendum, vno verbo, an domus ædificanda, nempe quia Architectura necessariò sic ædificat. Denique ars pingendi imaginem Henrici Magni, verbi gratia, non deliberat an Henrici facies sit exprimenda, an decor, an maiestas, comitas, item nasus subaquilinus describendus: hæc enim necessariò depingenda sunt, quia certa ratione sunt determinata: nec in consilium aut deliberationem vocari debent, alioqui ars finem non assequeretur.

Lib. 1.
Physic.
cap. 2.

Quædam tamen artes deliberant; ex potissimum quibus adiuncta est prudentia, & quæ in iis versantur, quorum principium ita in nobis est, ut à nostro pendeant arbitrio. Cuiusmodi sunt Rhetorica, Medicina, Iurisprudentia, quæ in suis officiis & exercitationibus observant circumstantias locorum, temporum, personarum. Rhetores enim & oratores deliberant, consiliumque capiunt de habendis suis sermonibus, de exordiis & perorationibus, hoc vel illo modo contexendis, apud has vel illas personas, tali vel tali tempore. Sed & iudices deliberant & consilium capiunt in ferendis iudiciis; itemque Medici in morborum curationibus. Esto. non deliberent artes de fine: quædam tamen de mediis quibus finis commodius obtineatur, deliberant; ut sunt eæ quas postremò commemoravi. Etenim aliæ quædam nec de fine, nec de mediis deliberant, cum habeant certa definitaque media, & præcepta, quibus debeant fines suos obtinere: ut alia eligere, aut

aut assumere, non fit in hominum potestate.

Porro in artibus & scientiis practicis, exercitatio frequens plurimum valet, ut excellamus. nam fabricando fabri fimus; in Theoreticis autem confert maximè meditatio attendita & profunda rei propositæ. Item crebra disputatio, & curiosa disquisitio veritatis. Ad omnem verò eruditionem & sapientiam dixit Aristoteles tria esse necessaria, φύσιν, μάθησιν, ἀσκησιν, naturam, disciplinam, & exercitationem. Naturam quidem, quia quidam sunt ad artes & scientias ineptissimi, vitio naturæ & defectu ingenij, vel quia morbo sunt præpediti: disciplinam verò, quia natura, licet optima, si tamen sola sibi relinquatur, vacillabit, facile decipietur, & à recto veritatis tramite sæpius declinabit, nisi præsto adsit magistra disciplina, siue artificiosa quædam institutio. Denique exercitationem, quia otio & inertia natura enervatur, languentque & rubignem contrahunt artes ac disciplinæ, nisi exerceantur, ut gladij vagina reconditi.

Origo Philosophiæ. Dissertatio quinta.

Philosophiæ genesim & originem repetere licet ex tribus omnino modis.

Infusione, quæ est à Deo, scientias artesque infundente, quibus libitum est. Spiritus enim, ut est in litteris sacris, ubi vult, spirat. Inventionem, quæ est ab hominū experientia, longaque rerum observatione.

Disciplina, quæ fit cum ex præceptore docente addiscimus.

Primo modo scientias habuerunt Adamus ille ἀπὸ πλάτος, Salomon, Christus Dominus, Apostoli, quibus sine proprio eorum studio & labore Deus Philosophiam, Theologiam, notitiàmque linguarum admirabilem infudit, quæ ideo à modo productionis infusa appellata est; illi verò θεοδιδάκτοι, & θεόπνευστοι, quasi à Deo edocti & inspirati.

Secundo modo Philosophiam habuerunt primi scientiarum auctores & inventores, posteaquam scilicet rerum naturam & proprietates longo usu obseruarunt, certaque nixi experientia, atque in primis sagaci ingenio pollentes, principia & documenta quædam indubitata ac verissima stabilierunt; quibus positis conclusiones artificiosè collegerunt, omniaque definiendo, diuidendo, & recto ordine ac methodo disponendo, in perfectæ artis ac scientiæ formam reduserunt.

*Per varios usus artem experientia fecit,
Exemplo monstrante viam.*

Ἡ μὲν ἐμπειρία τέχνην ἐποίησεν, ἀπειρία

Tom. 1.

τέχνην, inquit Aristoteles. *Experientia artem fecit, inexperientia fortunam. Usus me genuit, mater peperit memoria*, inquit de se loquens.

Philosophia apud Gellium: σοφία vocantur me Graij, vos Sapientiam. Fit verò experientia ex multis recordationibus eiusdem rei: exempli gratia, recordari se decies vel centies vidisse eos qui à rabioso cane demorfi sunt, in rabiem & hydrophobiam incidisse. Item recordari se vidisse eos omnes interiisse, qui à scorpione aut vipera icti fuerint. Item cicutam, apium, aconitum, sustulisse hunc hominem, illum & istum, aliosque multos. Præterea Rhabarbarum exhibitum his & istis, purgasse flauam bilem: phlebotomiam in pleuritide celebratam, morbum sanasse: & ita de ceteris. Ex his enim experimentis intellexerunt scientiarum inuentores, morsum rabiosi canis hydrophobiam inducere, morsum scorpionis & viperæ esse lethalem, cicutam, opium, aconitum esse venena; Rhabarbarum esse medicamentum cholagogum, purgans choleram; Venæ sectionem, sanare pleuritidem. Quare certa rerum experientia fulti scientiarum illi inuentores, axiomata quædam siue principia, certasque propositiones sapienter adstruxerunt, è quibus conclusiones postea deduxerunt ad scientiarum artiumque perfectionem. Unde sic licet argumentari. A quibus dependent principia scientiarum, ab iisdem ipsæ scientiæ dependent: atqui principia scientiarum dependent ab experientia, ergo & ipsæ scientiæ. Iam verò scientiarum principia notum est ab experientia dependere: quia principiorum veritas & certitudo examinatur in particularibus: neque crediderunt primi Philosophi vllis Philosophiæ principiis, priusquam eorum veritatem intuerentur in particularibus. Sic huius principij. *omne totum est maius sua parte*, veritatem illi viderunt, & examinarunt in particularibus totis, & in partibus inter se comparatis, hoc pacto: Video Lutetiam esse totum aliquod: puta totam aliquam integram perfectamque urbem; palatium verò siue regiam Luparam, esse Lutetiæ partem: atqui video totam Lutetiam esse maiorem Lupara, ergo video & sensu iudico totum sua parte esse maius. idem de tota domo cum pariete suo comparata licet existimare. Ecce aliud principium: *omne animal sensum habet*. At huius veritatem experti sunt veteres in particularibus animalibus, puta in singulis hominibus, piscibus, quadrupedibus, aibus, vermiculis, insectis, in quibus omnibus sensum esse, aliquem saltem, ut tactum, & gustum, longa obseruatione deprehenderunt.

Sic ergo certissima experientia, quæ meritò rerum magistra dicitur, inuentæ fue-

B

Cap 1. lib. 1
Metaph.

Lib 11. ca. 8
cx Afranio.

Diogenes
Laert. in
vita Arist.

Virgilius.

Cap. 1. li. 1.
poster.
Analyt.

Cap. 1. lib. 1.

runt artes & scientiæ. Vnde nihil inter res humanas scientiis certius, nihilque verius aut præstabilius habitum fuit. Ideo scientem dixit Aristoteles esse ἀμετάπλωτον, id est, adeo firmum & constantem in iis quæ cognoscit, ut nulla vi cadere possit, aut à recto sensu deijci, vel minimum errare. Per inexperientiam verò fortuna prodiit, siue casus fortuitus, inquit initio Metaphys. Aristoteles. Nam qui agunt inexperti, agunt temerè, sæpèque sæpius errant, & à scopo deflectunt.

Hinc igitur artium & scientiarum magister parénsque Mercurius, appositè pingi solet in cubo siue basi quadrata, quæ est constantiæ & stabilitatis emblemata, fortuna autem in globo volubili.

Alciatus
Embl. 98.

*Vt Sphæra fortuna, cubo sic insidet Hermes,
Artibus hic variis, casibus illa præst.*

Tertio denique modo, nempe disciplina, Philosophiam obtinent ij omnes sanè quamplurimi, qui ex præceptore eiusve viva voce instruuntur, & vel legendo, vel scriptis scientiarum Theoremata perdiscunt, crebris profundisque meditationibus, atque assiduis disputationibus animum excolentes.

Sed non videtur quæstioni plenè satisfactum, ad tres illos supra expositos modos, philosophiæ siue scientiarum genesis ac originem retulisse, nisi hoc loco explicetur ars illa admirabilis, ingenioque plenissima Methodus, quâ prisci illi scientiarum inuectores vli fuere in scientiis stabiliendis.

*Methodus inuentionis Philo sophiæ.
Dissertatio sexta.*

Methodus est ordo, via, ratio, siue recta certaque sermonum, artium, & scientiarum dispositio.

Scientiæ verò duobus modis ad Methodum pertinere possunt. Primo, quatenus inueniuntur: Secundo, quatenus doceri debent & inuentæ explicari. Hinc Methodus generatim duplex, inuentrix vna; dispositiua, altera. Hæc est scientiæ, vel artis iam constructæ & inuentæ dispositio & ordinatio; cum scilicet certa ratione & ordine conuenienti scientia iam inuenta traditur & explicatur. Illa verò est scientiæ nondum inuentæ, sed inueniendæ ratio & modus, & de hac hoc loco sermo est.

Vt igitur manuprehendimus & opera quinque digitorum tenemus omnia; sic Philosophiæ illi Proceres, scientiarumve primi auctores quinque vias & rationes sapienter inierunt, quibus omnia mète comprehenderunt, artésque & scientias præeunte semper sensu, fœliciter inuenerunt.

Enimvero ut inuentionis quinque viæ sunt, sic & eiusdem instrumenta duo constituuntur, nempe sensus, & mens siue ratio, quæ κριτήρια, id est, indicatoria, nominantur; quòd in eum finem animali fuerint naturæ lege attributa, ut iudicium de rebus ferret, easque discerneret; irrationali quidem sensus, rationali autem & sensus, & mens. Inter quæ criteria hic ordo est, ut semper præeat sensus. *Nihil enim est in intellectu, instar obiecti saltem, quod prius non fuerit in sensu.* Quippe cum species, imagines, primæque rerum impressiones externo sensu primùm recipiantur: deinde ad interiorum sensum phantasiam & memoriam ascendant; denique mentem subeant penetrantque, in quâ nulla est impressa rerum notio, aut similitudo, quæ nimirum fit instar tabulæ rasæ, vel puræ chartæ, in quâ nihil est actu descriptum. A sensu enim memoria est, à memoria nascitur experientia, cum scilicet sæpius iterata & repetita est eiusdem rei observatio: ab experientia denique ars siue scientia, ut supra fuit demonstratum. γίνεται γὰρ τέχνη, ὅταν ἐκ πολλῶν τῆς ἐμπειρίας ἐπινοημάτων, καὶ θόλου μία γίνηται πᾶσι τῶν ὁμοίων ἐπιβολῆς. *Fit enim ars, cum ex multis experientia notionibus, una de similibus existimatio in uniuersum oritur.* ex 1. cap. lib. 1. Metaph. Vnde dicitur sensus ianua scientiæ: & Quisquis sensus cuiusdam expertus est, putà visus, is etiam scientia quadam necessario caret, putà colorum & luminis. Cæcus enim non potest de coloribus iudicare, ex libro de sensu & sensibili. quamquam fallax est interdum sensus. Quare diligenter obseruanda est fallacia & causa modusque erroris, qui inter sentiendum obrepit, ne mens in rerum iudiciis aberret: quod in principiis maximè est turpissimū, *τις γὰρ ἀνθρώπου ἀμαρτία; ecquis enim à ianua aberret?* inquit Aristot. Atque hinc fortè natus est error Academicorum & Scepticorum, qui scientias nullas esse existimarunt, quòd earum fundamenta ruinosa & fallacia essent, nempe sensus. Vnde etiã Empedocles, sensuum nostrorum vias angustiores esse querebatur, quàm per eas posset certa rerum cognitio pertransire, ac sine erroris periculo mentem subire. Huc pertinet illud mentis sensusque dissidium quod ex Democrito commemorat Galenus in fragmento aduersus Empyricos. Sic enim fingebat Democritus sensus nostros contra mentem loquentes; *Miseram mens, quæ cum à nobis fidem assumpservis, nos deijcis; at cum nos deijcis, tu ipsa cadis.* Veruntamen ipsi Sceptici vehementer aberrarunt: qui ex sensuum erroribus, tollendas esse scientias concluderunt. Neque enim humani sensus semper, aut in omnibus errant, ut doceri solet libris de Anima: & si quando errare eos cõtingat, satis est eorum

Cap. 1. lib. 1.
Metaph.

errores à mente obseruari, à qua sanè vt à magistra & directrice sua corrigi possunt & emendari. Sed de Academicis & Scepticis postea. Sanè verò tunc optimè res habet in iudiciis cum sensus & ratio consentiunt. Est autem omnino sensui credendum, cum eius organum bene dispositum est, cum eius obiectum in iusta distàtia idoneoque situ positum est; & cum medium, putà aër, bene etiam affectum est.

Prisci ergo illi sapientes sensus acumine ac subtilitate, simulque mentis perspicacia præditi, ad inuentionem scientiarum sese accinxerunt, quinque celebres expeditasque vias secuti: nempe Comparationem, Separationem, Analysim, Synthefim, & Analogiam.

Et viam quidem comparationis siue similitudinis hoc pacto videntur iniisse. cum enim mēs humana quamdiu in corpore est, dependeat à notitia sensuum: sensu autem homines deprehenderint multa esse in rebus accidentia, quibus res inter se conueniant, vt leo & homo in motu: alia verò quibus differant, vt iisdem figura & effigie externa; qua tamen leones omnes inter se conueniāt, itēmq; singuli homines inter se: hinc deducti fuere sapiētes in cognitionem substātiæ & essentiæ rerum. Etenim ea omnia indiuidua quæ consimilem figuram sortita sunt, eiusdem etiam esse speciei & naturæ iudicarunt: quæ verò dissimilem, diuersæ essentiæ. Voluit enim sapientissimus rerum artifex Deus, vt quæ res eiusdem essent naturæ, formæ, & essentiæ, eadē etiam figurā ac effigie externā conuenirent, quæ esset veluti index identitatis naturæ: & contrā, quæ diuersæ essent speciei, diuersam etiam figuram sortirentur. Vnde homines hominibus, leones leonibus similes esse conspiciuntur, homines verò leonibus dissimiles. Rursus ab inferioribus ad superiora ascendentes Philosophi; cum animaduertent, res eas, quæ figurā externā, atque à deo natura specifica & propria differunt, in aliis tamen accidentibus conuenire, vt leonem & hominem in motu progressionis & in sensu; ea omnia quæ gradiuntur & ambulant, in vnum genus colligentes, iudicarunt in vna quadam natura generica, nempe in natura animalis conuenire. qua arte comparandi res inter se, vsque ad summum genus imò & ad ens ipsum, quod omnia complectitur, peruenerunt. Et de similibus quidem hæc tanquam certa & vera crediderunt, scilicet similia vna notione, qua nimirum similia sunt, posse comprehendī. Debere etiam similia comparari, vt ex comparatione colligatur similitudo, secernendo quicquid occurrit dissimilitudinis. Similium esse iudicium simile. Similia se inuicem illustrare.

Viam verò secundam, quæ est separationis siue distinctionis, ineuntes, accidens à substantia, & accidentia ab accidentibus sagacissimè distinxerunt; cum enim experirentur, hominem, verbi gratia, nunc calidum esse, nunc frigidum, nunc rubicundum, nunc pallidum, semper tamen in essentia sua permanere; iudicarunt ij & quidem sapienter, esse quidpiam in homine, aliisque simili modo rebus naturalibus, quod non pertineat ad essentiam; sed iis duntaxat accidere: Ita vt sine id accedat ad res, siue ab his recedat, integræ semper secundum essentiam res ipsæ perseuerent, neque inde vlla earum corruptio aut essentialis mutatio obueniat. licet interim quod ipsis rebus accidit, reuera iis inhæreat. Atque hoc vocarunt accidens, essentiam verò rerum, quæ accidenti subijcitur, substantiam nominauere. Eodem etiam modo iudicarunt frigus & calorem à se inuicem posse separari, quòd quæ eadem sunt, non possint à se inuicem separari & seorsim existere; sicuti frigus & calor à se inuicem in homine possunt separari. Et hac quidem methodo vsus videtur Aristoteles in postrema parte Categoriarum: cum scilicet probauit, accretionem & alterationem non esse eundem motum, & quòd possit aliquid crescere, neque tamen commutari siue alterari. quod docet ibidem exemplo quadrati, cui circunponitur Gnomon: sic enim quadratum crescit oppositione Gnomonis, (Gallice, *Esquierre*) cum tamen non alteretur, siue nouam qualitatem acquirat. alterari enim est nouam induere qualitatem: in illa autem hypothefi quadratum nouam quidem quantitatem siue magnitudinem admittit; qualitatem verò nullam. Cæterum qui has duas priores vias inierunt, præceptum hoc semper ante oculos habuerunt, Similium dissimilitudines quærendas esse, & Dissimilium similitudines.

Iam vero tertiam viam, quæ est Analyseos siue resolutionis, sectantes primi illi Philosophi, naturas quas in rebus diuersis distinctas repererunt, licet iam copulatas & in eadem re coniunctas, à se inuicem separarunt, remque totam quasi horologium in minutissimas ac simplicissimas quasque partes diuiserunt ac resoluerunt: qua resolutione facta, non modò rem secundum partes quaslibet, verum etiam principia & causas affectionum ac proprietatū quæ rei competunt, facile intellexerunt: cum enim in eadem natura, putà in homine, communia quædam, quædam propria esse animaduertent, propria à communibus ingeniose seposuerunt hoc fere pacto: Homo est animal, est etiam rationis compos. Ac esse quidem rationis particeps, propriū est

homini: esse autem animal, & homini & bruto commune est. Quare rationali seu potius gradurationis relicto sumpserunt animal, quod est viuens sentiens. Hominem igitur, vt sentiens est, collegerunt à planta differre, cum eadem tamen conuenire vt viuens est, siue secundum gradum viuentis: relicto igitur sentiente, & assumpto viuente, quod est corpus animatum & vitæ particeps, cognouerunt hominem cum planta conuenire quatenus est viuens; differre verò à lapide, quatenus vitam habet, estque animatus: sed cum eo, id est, cum lapide, hominem conuenire, quatenus homo corpus est, ratione cuius differt homo ipse à substantiis separatis siue spiritibus, cum quibus tamen hominem conuenire intellexerunt in communi gradu substantiæ: quatenus scilicet homo substantia est per se cohærens. Itaque relicto corpore quod est proprium homini, si conferatur cum Angelis, substantiam assumpserunt, quæ est ens per se cohærens: hominem igitur vt per se cohærens est, cognouerunt differre ab accidentibus, quæ non sunt per se: vt verò ens est, cum iisdem conuenire saltem Analogicè & similitudine ac proportione quadam. Facta igitur hac analysi, cognitæ sunt omnes partes & attributa essentialia, tam communia quàm propria hominis. ex quo apparet, perfectam essentiæ rei intelligentiam per analysim acquiri: imò verò non essentiæ tantum, sed & affectionum siue proprietatum comprehensionem, cum homini insint varij ordines proprietatum, quarum aliæ ab homine ipso oriuntur, quatenus est rationalis, vt capacitas disciplinæ, admiratio, risus: aliæ ab eodem manant, vt est sentiens, siue animal, vt quòd audiat, quòd videat, vigilet, dormiat, ambulet: aliæ verò vt viuens est, vt quòd nutriatur, crescat, generet: aliæ, vt est corpus constans elementis, vt quòd generetur, intereat, locum occupet, magnitudinem suam habeat, trinamve dimensionem: aliæ vt substantia est, vt quòd non suscipiat intensionem & remissionem, capax sit contrariorum: aliæ denique quatenus ens est, vt quòd sit vnum quid, verum, bonum, finitum vel infinitum, idem vel diuersum: ex qua resolutione facillè quiuis intelliget quæ sit causa propria, prima & immediata singularum affectionum. vt si vettatur in quæstionem, quænam sit prima origo & radix proprietatum primi ordinis, in promptu erit respondere non esse animal, neque aliud attributum superius. quoniam in multis reperitur natura animalis, vt in equo & leone, in quibus tamen non reperiuntur proprietates primi ordinis. Relinquitur ergo vt ratio rationale, quæ hominis vltima est differentia, propria sit &

adæquata causa illarum affectionum. quòd si rursus quæretur, quænam sit causa affectionum secundi ordinis: eodem modo probabimus reuera esse animal, non autem rationale, neque vllum aliud attributum superius. Ex quibus intelligere licet methodi huius, quæ per analysim fit, præstantiam & dignitatem in scientiis.

Viam autem compositionis siue syntheseos, quæ quarta est, & præcedenti opposita, secuti sunt veteres cum partes & gradus naturæ in vnam totam naturam copularunt, ac veluti composuerunt; ex qua coniunctione affectiones, quæ alioqui latebant, clarissime cognouerunt. & de hac quarta inuentionis via plura annotare non videtur necessarium; cum ex præcedenti facile cognoscatur; ei enim penitus est contraria, cum analysi diuisione fiat, synthesis autem vnitione ac coniunctione.

Quintam denique ac postremam viam, quæ Analogiæ est siue proportionis, veteres Philosophi instituerunt; cum naturas eorum quæ inter se proportionem habere videbantur, inuestigarunt, ex rebus notioribus & sensu perceptis, ad res ignotas & obscuras deuenientes. Hanc Philosophandi rationem secutus videtur Aristoteles in Categoriis capite de Qualitate: dum causam ruboris naturalis, ex rubore qui ex animi pathemate, putà pudore vel iracundia, nascitur, inuestigauit; illumque ex simili causa & affectione naturali ortum esse dixit; hocque tantum inter vtrumque interesse, quòd vnus sit permanens, & quasi iustus, alter verò fugax & repentinus. Item in problematis quæstione prima sectionis 30. vbi ex natura & moribus ebriorum, causas ingeniosissime perscrutatur naturæ morumque diuersorum; qui in hominibus melancholicis obseruantur, eo quòd scilicet ebrij ac melancholici moribus videantur persimiles. Vt enim vitium homines reddit interdum iracundos, interdum mites, interdum misericordes, interdum audaces, nunc hilares, nunc tristes, &c. sic etiam melancholia alios aliter habet, atque in diuersos affectus trahit. Eandem Analogiæ ac proportionis methodum insinuauit Diuus Paulus primo capite epistolæ ad Romanos. Vbi inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intelligi posse significauit. & Sapiens Hebræus Salomon, Sapientiæ decimo tertio capite, vbi ait à magnitudine speciei & creaturæ, posse cognoscibiliter videri Creatorem. Atque hæc etiam analogica cognoscendi ratio, plurimum in scientiis commendatur. His ergo quinque viis prisca illi sapientes Philosophiam & scientias creduntur inuenisse.

Est tamen hæc primò obseruandum, me-

chodum quintam posse ad primam reuocari: cum Analogia rerum comparatione ac similitudine niti videatur.

Secundò nullam hinc factam esse methodi definitiuæ mentionem, licet ea alioqui præstantissima habeatur: quia nempe definitiuâ methodus non ad inueniendum, sed ad docendum dicendumque est comparata. Tertio ex omnibus methodis, tres vt celeberrimas, maximè iactari à Philosophis, nempe Analyticam siue resolutiuam, quæ à toto ad partes, à conclusione ad principia, ab effectis ad causas progreditur: Syntheticam siue compositiuam, quæ contrario modo procedit, nempe à partibus ad totum, à causis ad effecta: & Aoristicam siue definitiuam, qua scilicet statim initio doctrinæ proponitur definitio vel ipsius scientiæ, vel finis eiusdem, idque per partes: deinde singulæ definitionis partes ordine explicantur, totaque scientia hoc modo absoluitur. Hanc methodum secutus est doctissimus Galenus in Arte medicinali, vbi primò definit Medicinam, scientiam salubrium, insalubrium & neutrorum: secundò partes definitionis explicat, quid nimirum & quod duplex salubre, insalubre, neutrum. Tertio partes partium definitionis pergit exponere; quoad artem absoluat. Verùm methodus hæc definitiuâ ad alias duas videtur posse commodissimè reuocari maximè vero ad Analyticam: qui enim definit, resoluit definitum in partes, vt pote genus & differentiam, si definitio Metaphysica fuerit, si Physica, in materiam, & formam.

*Dignitas Scientiarum siue partium Philosophiæ.
Dissertatio septima.*

AB obiecti præstantia, à docendi subtilitate, ab vsu meliore, nobilitas & perfectio Philosophicarum scientiarum desumitur.

Duos priores dignitatis & excellentiæ modos notásque refert Aristoteles initio lib. 1. de Animâ. tertiam verò colligunt interpretes ex capite secundo, vel iuxta præsentem editionem primo, libri primi Ethicorum ad Nicomachum: quo loco vocat Aristoteles, ratione scilicet potioris vsus, Politicam, Architectonicam & dominam aliarum scientiarum.

Quæ igitur artes & scientiæ obiectum habent præstantius eæ sunt nobiliores: sic Theologia nobilissima est omnium, quia Deum quo nihil maius est, pro obiecto habet, resque præstantissimas contemplatur. Sic Physica nobilior est Mathematicis; quia Physica occupatur circa substantias, corporaque naturalia; Mathematica verò cir-

ca accidentia, nempe quantitates, siue magnitudines & numeros. Quæ verò scientiæ exacta & subtiliore docendi ratione ac methodo traduntur, certioribusque nituntur argumentis ac demonstrationibus, eæ aliis minùs accuratis nobiliores reputantur, & hac nota Mathematicæ Physica sunt nobiliores; quarum scilicet demonstrationes certiores sint, clariores & accuratiores demonstrationibus Physicis, à materiæ circumstantiis liberiores. Etenim à motu, loco, & tempore, quæ sunt materiales circumstantiæ, incertitudo, rerumque mutabilitas proficiscitur.

Quæ denique scientiæ vsu potiore prævalent, & humano generi maiores fructus afferunt, eæ aliis omnibus anteponuntur. Sic enim ex maiori vtilitate scientiæ dignitas æstimatur: qua notâ & titulo scientiæ ciuili siue Politicæ præcellit: quæ regnorum & ciuitatum custos est ac conseruatrix, quæ bellum arceat, pacem publicam tuetur, lites componit, malos castigat, bonos remunerat, ius suum cuique reddit, & tandem summum omnium hominum bonum ac felicitatem procurat. Eodem iure Medicina cæteris solet anteponi, quæ omnium hominum, regum & populorum vitam custodiat, sanitatem restituat, sine qua nihil potest esse tota vita iucundum. Atque eo excellentior adhuc Medicina creditur, quòd Theologiæ sacrosanctæ maximè sit affinis & propinqua, vsusque vtriusque pœnè idem: cum vtraque homini medeatur, Theologia quidem animæ; Medicina corpori, vt Causidicina fortunæ bonis. Dicerem hoc loco non inuitus de prærogatiua honoris, quam parili quidem studio, sed imparibus multò rationum momenti controuersantes Medicina & Causidicina ambiunt & affectant, atque alteri altera certatim conatur præripere. Docerem faciliè in hac acie, & contentione honoris velites esse Causidicos, Medicos antepilanos. efficerem bonis, vt modestè dicam, argumentis, vni Medicinæ tanquam meliori & illustriori, palmam esse tribuendam. Dicerem, si liceret, causidicos, qua tales, non tantum in solis hominum fortunis pecunijsque defendendis, quæ sunt omnium iudicio; infra sanitatem, & bonâ corporis, coniti ac desudare; sed neque eos vnquam grauissimam iudicis in causarum actionibus, suoque forensi ordine personam & auctoritatem sustinere, aut sibi iure aliquo vendicare posse; Medicos autem in causa sanitatis, in morborum disceptationibus, in rebus inquam, ad hominum vitam pertinentibus supremos esse iudices, à quibus non liceat prouocare. Dicerem, Principes, Reges, & Imperatores, Saporem

& Gygem, Medorum, Sabid Arabum, Mithridatem Persarum, Hermetem Ægyptiorum, Salomonem Hebræorum, Alexandrum Magnum Macedonum, Euacem Arabum, Iubam Maurorum, Mesuem, Regis Damasci Nepotem, Auicennam Cordubæ Principem, aliósq; plurimos medi sciencia præcelluisse, imò & Medicinam & sibi & aliis fecisse: atque ex ea, absit ut è Caufidicpa, nominis immortalitatem fuisse consecutos. Dicerem, Medicos. *ἑσὼν χεῖρας*, *Deorum manus*, dictos, atque etiam Deorum loco olim habitos fuisse, & cœlo diuinisq; honoribus donatos; Minoëm autem, Æacum, Rhadamanthum, caufarum & litium intelligentissimos, pro omni sua mercede & gloria, ut Poëtæ quidem aiunt, causas inter umbras cognoscere, vitas & crimina discere, audire dolos, urnam mouere, reos cogere, castigare, pœnas indicere, durissima regna. Dicerem ex Plinio, solam inter artes Medicinam ipsis Imperatoribus imperare; eius inuentionem cœlo dicatam esse. Proferrem denique, multis aliis prætermisissis, ipsum verbum Dei, æternæ inquam sapientiæ oraculum ac iudicium omni exceptione maius, Medicinæ honorem lege ac præcepto statuentis, & quod admiratione dignum est, ipsam Medicinam, Medicumque honorificâ commendatione prædicantis: *Sapientia Medici extollit caput eius, inquit, ut sit admirationi principibus. Honora Medicum, &c.* Ecclesiastici cap. 38. Sed hanc de honoris prærogatiuâ controuersiam relinquire me cogit, mei instituti ratio, & modestia Philosophicæ professionis. Quare ut eò vnde paululum in Medicinæ gratiam digressa erat oratio nostra, reuertatur: Mathematicæ etiam practicæ, quæ scilicet ad vsum referuntur, putà ad architecturam, ad castra ordinanda, ad extruendas arces, disponendos milites, mercaturam ineundam, commercia feceliciùs habenda, magnitudines dimetiendas, & alia eiusmodi, hac tertiâ dignitatis notâ, quæ ab vfu potiore petitur, aliis etiam Theoreticis habentur nobiliores.

Præcipua tamen perfectionis nota in scientiis & artibus ab obiecto repetenda videtur, quòd ipsas scientias constituit, distinguit, suumque iis splendorem affundit atque dignitatem.

Hinc facillè intelligitur ordo dignitatis scientiarum, & quot quibusque modis scientiæ aliæ aliis dici possint nobiliores. Cæterùm de ordine temporis siue inuentionis scientiarum, dixi suprâ in quarta dissertatione.

Virgil. li. 6.
Aeneid.

Finis Philosophiæ. Dissertatio octaua.

Cvi bono sit Philosophia, docui in præfatione. Theoreticæ quidem finis est, perfecta iucundaque veritatis contemplatio. Et veritas quidem in rebus omnibus suo modo conspicitur, sed in Deo rebusque diuinis vnice refulget; cùm Deus sit ipse Sol veritatis, ipsaque veritas. quare ut Philosophia à Deo est, omnis veritatis parente; sic ad eum vnum tendit ac dirigitur, atque in eo tanquam in vltimo fine suauissimè conuiescit. Practicæ finis est actio virtutis. Poëticæ est effectio recta siue artificium quodlibet. quamquam effectiones & opera artium, exquisitè loquendo, ad primarium finem Philosophiæ non pertinent, qui in vita beata, id est diuina illa contemplatione & virtutum exercitio consistit. Ut verò Deus per se beatus est æterna sui contemplatione & amore infinito: sic & homo Dei contemplatione & amore fœlix efficitur. hoc enim modo fit homo Deo simillimus: In qua similitudine vitam beatam consistere veteres docuerunt; ipseque Aristoteles decimo libro Ethicorum demonstrauit. Porro perfectam fœlicitatem in hac vita, quæ plena est caliginis, miseræ & tenebrarum, vix sperare audemus aut possumus, iuxta illud regij Psalmographi: *Satiabor cùm apparuerit gloria tua, Domine.* Et Diui Augustini in confessionibus, *Fecisti nos Domine ad te, & irrequietum est cor nostrum donec ascendat ad te: Imò & Poëtæ profani,*

---- *ultima semper*

Expectanda dies homini: dicique beatus

Ante obitum nemo supremæque funera debet:

Sed de morali siue naturali duntaxat fœlitate agunt Philosophi; quæ ideo miscenda non est aut confundenda cum supernaturali & Christiana: de qua dicere diuinioris est artificis, nempe Theologi Christiani. Tantum enim Philosophica beatitudo à Christiana & cœlesti differt,

A terra quantum sublimis distat Olympus.

Instrumenta Philosophiæ, & ordo tradendarum Scientiarum. Dissertatio nona.

Hominem natura vel potius naturæ autor Deus ad Philosophiam destinauit, ut equum ad cursum, auem ad volatum, piscem ad natandum. Vnde ut equo pedes expeditos, aui liberiores alas, pisci pinnas idoneas & faciles; sic homini instrumenta quædam suo fini consentanea liberaliter impertiuit, nempe rationem

siue mentem, cuius sensus nuntius est ac minister: orationem, & manum. Hæc enim tria ad philosophandum videntur esse necessaria. Enim vero ratione ac mente præditi homines, sensuque pollentes acerrimo (vt dixi supra in methodo inuentionis) rerum causas, naturam, affectiones & proprietates inuestigant ac perquirunt, & identidem ratiocinando obscura & abdita quæque inueniunt, definiunt, diuidunt, componunt, disponunt.

Dissert. 6.

Aristot. lib. 1. Polit. cap. 2.

Orationis autem siue locutionis aut sermonis beneficio, ab aliis inquirunt & addiscunt, ideoque vocabula inuenta vsurpant pro rebus, iustitiam dicunt & exercent, mutuis se auxiliis adiuuant.

Manu denique, quam sapientiæ ac prudentiæ symbolum esse veteres voluerunt, actiones externas eleganter & expeditè perficiunt, opera artificiosa bellissimè componunt, leges scribunt, Deo aras erigunt, naues construunt, ædificant domos, citharam pulsan, gladios distingunt, tela iaculantur, pingunt, fingunt, poliunt, dolant, secant, sculpunt, ferunt, gestus exprimunt: hæc enim manus sunt officia. Neque dubitauit Anaxagoras, inquit Plutarchus, *ἐν ταῖς χερσὶν τὸ ἀπὸ τῆς φύσεως τῆς ἀνθρώπων σοφίας. manibus causam ortumque humana sapientiæ attribueret.*

Rationem igitur propter Philosophiam, omnesque absolutè disciplinas natura tribuit hominibus, sed maximè ac peculiari quodam iure propter scientias propriè dictas, putà Logicam, siue rationalem, Ethicam, Physicam, Mathematicas, in quibus longè perfectius ratio exercetur: sermonè verò propter artes sermocinales, Grammaticam, Rhetoricam; licet dicat Aristoteles primo Polit. hominibus à natura tributum esse sermonem propter officia iustitiæ, vitæque communionem. Manum denique propter artes reales & operum effectrices, vt Picturam, Architecturam, Textoriam, Chirurgiam, quæ exerceri sine manu non possunt. Mirum igitur esse non debet, quod tria hæc præsidia & instrumenta obtinendæ Philosophiæ, solis hominibus sapiens natura concesserit: cætera enim animalia philosophari non possunt, aut scientias artesve vllas perdiscere. Quod si sermonem humanum aues quædam platyglossæ, id est, latioribus linguam habentes, vt psittaci, picæ, merulæ, exprimere videantur; eæ profecto dant sine mente sonum, nec loqui propriè dicuntur, cum nesciant quid loquantur. Vt enim sit locutio propriè dicta, debet antecedere in mente quædam rei comprehensio, cum locutio per se sit signum mentalis conceptus, siue intellectiois. Sunt igitur tria Philosophiæ naturalis organa, mens, sermo, manus, solis hominibus attributa.

cap. 2.

Ex cap. 1. lib. 1. de Interpret.

Sed est præterea vnum aliquod, illudque præstantissimum & artificiale Philosophiæ organum, nempe Dialectica, sine qua nihil perfectè sciri potest. Tradit enim & suppeditat Dialectica omnes sciendi formulas & modos, deque iis egregias leges constituit. Sunt verò illi sciendi modi omnino quatuor; nempe definitio, diuisio, argumentatio, & methodus: quibus quisquis fuerit probe institutus, facillè is scientiarum fastigia assequetur: alioqui si doctrina illa formularum sciendi sit destitutus, vix vnquam verum à falso poterit secernere; & sæpe sæpius in errorum sepulos impinget.

Est igitur in studio philosophicarum disciplinarum à Dialectica incipiendum; quæ est ars ipsa docendi & discendi, quæ docet verum à falso distinguere, quæ leges omnes explicat de rebus omnibus differendi, & quam sciendi modum methodumve appellat Aristoteles, eique ideo in primis dandam esse operam præcipit; quod *absurdum sit ac nimis operosum scientiam simul & modum scientiæ querere, ἀποπρόν ἀμα ζήτησιν ἑπιστήμης & ὁρίων ἑπιστήμης.* cap. 3. lib. 2. Metaph. atque id quidem sic breuiter demonstrare licet. Scientiæ enim omnes non aliis constant, quàm obiecti sui rerumque quas tractant definitionibus, diuisionibus, demonstrationibus bene ordinatis: ergo qui artem bene definiendi, diuidendi, demonstrandi, disponendi nesciet, nullas ille scientias poterit comparare. atqui ars siue scientia bene definiendi, diuidendi, demonstrandi, ordinandi, vnoque verbo rectè differendi, Dialectica est: itaque à Dialectica vt à communi organo Philosophiæ & clauæ scientiarum, ducendum est Philosophicarum disciplinarum initium; si nempe exquisitioris doctrinæ ordo seruandus est, imò & naturæ, quæ res suas inchoare solet à necessariis. Sanè si vetustissimam philosophiam, vt quæ Solonis fuisse dicitur, excipiamus; cuius primum imò totum studium fuit in moribus, & Ethicæ doctrina positum, omnes aliæ Philosophorum sectæ, à Dialecticæ explicatione videntur incepisse. Licet enim quæ illi successit philosophia, in naturæ solius contemplatione fuerit occupata, eius tamen professores, aliquas Dialecticæ leges, cum sua Physica coniungebant: quamquam & hinc abiens Socrates, atque, vt ait Sidonius,

... de natura pondere migrans,

Ad mores hominum limando transiit vsu. Sed Zeno à Dialectica exorsus est, cui Physicam subiunxit. Tum deinde Ethicam aggressus est. Incepit & Apollodorus à Dialectica à qua ad Ethicam sese conuertens, in Physica postremo versatus est. Volebat Plato, auditores suos antequam scholam ingrederentur, Mathematicis esse informatos,

ideo hęc suo auditorio iussit inscriptionem apponi, οὐδεὶς ἀγνομήστωσ ἐὶσὶ τῷ. *Nemo Geometriae rudis, aut ignarus, huc ingrediatur.* Aristoteles autem ordinis amantissimus, ac methodi magister optimus, princepsque Dogmaticorum, ab ipsa arte differendi & resoluendi, quę Logica etiam & Analytica vocatur, omnino decrevit esse auspicandum, ut ex loco citato, aliisque passim, maximè verò ex lib. 1. 3. & 4. Metaphysicorum colligere licet. Tum debere Mathematicas addisci, ita ut Arithmetica & Geometria Ethicam, Politicam, Physicam, & Metaphysitam antecedant. Sed tamen Physicę aliqua saltem theoremata philosophiæ Morali esse præmittenda ex cap. ultimo lib. 1. Ethic. ad Nicom. nempe ea quę ad animum pertinent. Politicus enim cùm animi Medicus sit, cuius sanitas ἡ εὐεξία in virtute consistit, ut morbus in vitio; is profectò animi naturam, partes, vires & facultates nosse imprimis debet, ut medicus naturam corporis humani. Dixerim etiã pari iure, quędam adhuc de hominis animo documenta, ipsi Dialecticę esse anteponenda; quę scilicet mentem, eiusque functiones instituunt. est enim res de qua agitur, saltem modo quodam cognoscenda. Totam deinde tradendam esse Physicam; ac denique Metaphysicam, quę Theologia naturalis indigetatur, & cùm ordine dignitatis sit omnium prima, doctrinę tamen facilio- ris, imò & naturę ordine, ut scilicet natura in perfectissimo desinit, postrema est.

Sed cùm de sectis Philosophorum hac dissertatione nonnihil obiter dixerim, & Aristotelem dogmaticorum Principem appellauerim; æquum videtur, ut de sectis pauca nunc annotare aggrediar: præsertim cùm Peripateticam sim omnino amplexus, & in eius, tanquam omnium optimę, ac præstantissimę, gratiam, Synopsim Doctrinę peripateticę instituerim.

Secta Philosophorum. Dissertatio decima.

Ingeniorum, opinionum, affectionum- que humanarum incredibilis varietas, atque intelligendę veritatis ratio in diuersis hominibus Philosophiam profitentibus plerumque diuersa, secuit diuisitque Philosophiam in Schismata, siue sectas, hæresesque quamplurimas. Nonnulli enim rerum fortassis inconstantia & veritatis obscuritate ac difficultate perterriti; vel suo potius ingenio diffidentes, nihil ausi sunt de rebus affirmare, sed assensum iudiciumque suum cohibentes, nulla certa dogmata decreuerunt aut definierunt, res propositas sine vilo assensu apprehendentes. Alij opinionem secuti sunt; quę cùm vel ad phantasiã si-

ue apparentiam, ut quod res videatur talis; vel ad rem referatur, ut quod res fit talis; duobus etiam illis opinandi modis, hi quidem priore, illi posteriore philosophati sunt. Alij denique illis omnibu cōstantiores & audentiores, cùm potiundę veritatis desiderio accensi essent, cuius scilicet percipiendę cupiditatem natura hominibus tribuisse videtur, τὴν κατὰ φύσιν, comprehensionem scilicet, introduxerunt. Vnde illi rerum naturam, principia, proprietates & officia penetrantes, de eis certa expressere iudicia, & Methodi lumine adiuti, documenta plurima ritęque collecta & excogitata, sapienter disponentes, in scientiæ formam pulcherrimam redegerunt. Ut certè tribus potissimum intelligendi modis, assensus retentione, opinione, & comprehensione, philosophandi diuersitas omnis, atque adeo sectarum origines & discrimina contineri videantur. Licet enim, ut præclare docet Aristoteles, intelligendę veritatis difficultas ex duobus capitibus soleat æstimari, nempe ex rebus ipsis quę aciem mentis humanę plerumque fugiant aut superant; vel ex nostri intellectus naturali imbecillitate; difficultatis tamen causa in nobis potiùs, (id est, in sensuum mentisque imperfectione ac defectu,) quàm in rebus ipsis alioquin præstantissimis sita esse videtur. ὡς περ γὰρ ἡ τῆς νυκτείδων ὀμματα πρὸς τὸ φέγγος ἔχει τὸ μεθ' ἡμέρας, οὕτω ἡ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς ὁ νοῦς, πρὸς τὰ φύσιν φανερώτατα πάντων. *Ut enim se habent oculi vesperilionum ad lumen diurnum & meridianum: Sic & anima nostra intelligentiæ siue mens ad res naturę omnium clarissimas & præstantissimas.* Quod si potissima percipiendę veritatis causa ab humanę mentis imperfectione & fragilitate, ipso teste Aristotele, petenda sit; profecto ab eadem mentis imbecillitate, varietatem illam opinionum diuersamque philosophandi rationem, vnde sectarum turbę multiplices prodierūt, iure potiori repetere licebit. Quamquam audire hoc loco oportet quid veteres de sectis tradiderint, & quid propriè secta sit, & quotuplex, ut tandem ad earum aliquam, quę nimirum omnium optima sit & præstantissima, ipsi nos adiungamus.

Secta, inquit Marcus Tullius, est disciplina seu potius certa quadam disciplina formula, factio, studium, ratio vite.

Luculentius Diogenes Laërtius de Secta loqui videtur, cum eam ait ab antiquis vocatam esse ἀρεσὶν τὴν λόγῳ πινέει τὸ φαινόμενον ἀκολουθοῦσαν ἢ δοκοῦσαν ἀκολουθεῖν. *Hæresim, siue institutionem eam, quę rationem aliquam iuxta id quod apparet, & in promptu est, sequitur, aut sequi videtur.* Hinc enim sectam à sectando dictam volunt, quòd multi primum alicuius doctrinę vel opinionis assertorem auctoremve sequantur; licet

Lib. 2.
Metaph.
cap. 1.

Lib. 1. de
Orat.

In Proem.

alij quidam à sectione sectam appellare malint, quòd secta sit quædam doctrinæ vel opinionum diuisio, & quasi sectio, & cum omnes omnium sectarum Principes Philosophi habeantur, sententiarum tamen diuersitate distracti sint atque diuisi.

Accommodatiùs tamen & specialius secta definitur, certa doctrinæ ratio, multis ijsque sibi consentientibus constans documentis siue Decretis, quibus homines obfirmatè constantèrque adhærent. Quæ definitio ex eodem Diogene Laërtio colligitur, vbi in Proœmio, *τὴν αἵρεσιν, sectam ait esse, πρόσκλησιν ἐν δόγμασιν ἀκολουθίαν ἔχουσαν*, *Inclinationem animi ad ea dogmata quæ sibi consentiant*. Malè enim, vt obiter dicam, Laërtij interpres *πρόσκλησιν*, vertit *appellationem*: cuius erroris causam esse puto; quòd falsò crediderit legendum interpres ille *πρόσκλησιν*, quæ vox *aduocationem* vel *appellationem* re vera significat, *ἄπὸ τῆς προσχλεύειν*, quod est *aduocare*, accersere: sed legendum dum *πρόσκλησιν*, vt textus Græcus habet, de inclinatione enim animi loquitur autor: *πρόσκλησις* autem *inclinatio* est & animi propensio, *ἄπὸ τῆς προσκλίειν*, quod est *acclinare*.

Apparet ergo duas esse sectæ definitiones: Generalem vnani, quæ priore loco tradita est à Diogene Laërtio, conuenitque omnibus Philosophorum ordinibus, siue illi dogmatici sint, siue non dogmatici: Specialem alteram; quæ ab eodem Laërtio posteriore loco posita est, & quæ iis solis conuenit qui certis adhærent documentis, & comprehensionem sequuntur, vnde Dogmatici appellati sunt.

Et enim Philosophorum duo sunt generales ordines ac veluti exercitus, vnus est Dogmaticorum, ὅσοι περὶ τῆς πραγμαμάτων ἀποφάνονται ὡς ἀκαταλήπτων, qui de rebus affirmant, differunt, certaque constituunt documenta, ac si res sciri ac comprehendi possent. vt Plato, Zeno, Aristoteles, alijque plurimi: Alter Scepticorum siue Ephemericorum, ὅσοι περὶ αὐτῶν ἐπέχουσι, ὡς ἀκαταλήπτων, qui de rebus nihil affirmant certoque quidquam definiunt, quasi nihil possit comprehendi. Sed assensum retinent cohibetque, quæ intelligendi ratio dicitur Græcis ἐποχή, Latinis *retentio*, siue *apprehensio rei*, siue assensu certoque iudicio. Aliud enim est apprehendere siue intelligere & cognoscere simpliciter, aliud assentiri. Assentitur scilicet is, qui iudicat existimatque sic esse vel non, sic videri vel non: apprehendit verò qui simpliciter rem percipit & considerat tantum. Est autem apprehensio semper assensu prior; neque hunc illa, sed hic illam sequitur ac præsupponit. Nomen igitur Sectæ generaliter sumptum conuenit Ephemericorum ordinibus, qui quia dubitant de omnibus, sim-

pliciter considerando & sine assensu apprehendèdo, *ὑπορητικοί, dubitatores, ἀεπίτικοί, consideratores, ἐφευτικοί, retentores*, fuerunt nominati: speciatim verò & propriè competit Dogmaticis, qui in communi quadam doctrinæ ratione consentiunt, certa de rebus pro suo quisque sensu ac iudicio documenta stabilientes; non ita tamen vt omnia sciri certoque comprehendi existiment. multa enim esse ipsi consentunt, quæ in vtramque partem ex æquo cadere possint, quorum nullam esse scientiam sed opinionem dumtaxat profitentur. Hinc faciunt Dogmatici assensum duplicem, certum vnum, quem vocant Catalepsin siue comprehensionem; incertum alterum, quem vocant opinionem vel simpliciter assensum. Vnde nomine comprehensionis certam & indubitatam cognitionem, nomine verò opinionis incertam existimationem significant. Atque huius quidem dogmatis de apprehensione, assensu, & comprehensione illustris claraque expositio colligi potest ex Lucullo Ciceronis, vbi egregium Zenonis dictum factumque celebratur, quo ille apprehensionem siue visum, assensum & comprehensionem mirè videtur expressisse. Cùm enim Zeno extensis digitis aduersam manum ostenderet, visum phantasiave, inquiebat, est eiusmodi: Deinde cum paulum digitos constrinxerat, assensus huiusmodi: tum eum plane compresserat, id est, clauserat, pugnumque fecerat, comprehensionem illam dicebat esse: qua ex similitudine nomen factum esse certæ & indubitatæ cognitionis. Dogmatici igitur, *καταλήψιν, comprehensionem*, stabilierunt, Ephemericis verò sustulerunt, eiusque loco contrariam *ἀκαταλήψιν*, siue, si ita loqui licet, *incomprehensibilitatem*, introduxerunt.

Atque ex duobus illis Philosophorum summis ordinibus, sectæ vtriusque plures maximeque discrepantes prodierunt, ac veluti pullularunt. Neque id mirum cuiquam esse debet; cum enim veritas hominum ad spectum fugiat, totaque caligine ac tenebris sit circumfusa; profecto vt variè affecti ac instituti fuere ij qui eam philosophica indagine perquisierunt: sic & illi de veritate differentibus modis plerumque etiã ridiculis philosophati fuerunt: vt si quo in alio studij genere, id in hoc maxime possit vsurpari, quot capita sunt Philosophorum, tot fere esse sensus & opiniones. Enim vero si de humana beatitudine (vt cætera mittam) ducentas octoginta octo differentes veterum Philosophorum sententias, Marcus Varro à suo iam tempore collegerit, vt testatur Diuus Augustinus capite primo lib. decimi noni de Ciuitate Dei: quid de rebus alijs abstrusissimis longeque difficilioribus, & nunc maxime post tot maiorum

nostrorum exacta secula cogitandum est? Profectò in statuendis philosophiæ decretis veteres illi horrenda & miserabili infinitarum prope, atque etiam non rarò absurdissimarum opinionum dissensione pugnant, nouam ipsi veritati caliginem asperferunt, non sine illius insigni detrimento ac iniuria: quam scilicet dum omnes ad se pertrahere conati sunt, misere discerpserunt atque dilacerarunt, ita vt cum veritatem totam singuli possidere, atque vt suam sibi vindicare vellent, quasi proci illi puellam illam formosissimam à Plutarcho celebratam sponsam habere volentes, eam ferè omnes infeliciter amiserint.

Ij igitur quibus omnia visa sunt ἀκατάληπτα, *incomprehensibilia*, ideoq; nō Dogmatici appellati, veri ignorantia vindices & patroni, in diuersas classes diuisi sunt. Quidam enim ex iis illud ipsum, quòd omnia sunt incomprehensibilia, quasi asseuerabant: vt Academici noui: quorum auctor Lacydes fuit: Item Cyrenaici; quorum dux erat Aristippus Cyrenæus. Imò & Socrates ipse, vt quidam aiunt, qui se hoc vnum scire profitebatur, quòd nihil sciret: alij verò ex non Dogmaticis, illud ipsum quòd omnia sunt incomprehensibilia, videri etiam incomprehensibile dicebant. Et hi in duas alias sectas classève abierunt, Pyrrhonis scilicet & Arcesilai. Pyrrho siquidem eiusque sectatores, item Aporetici, Scepticique, qui scilicet perseverant in quærendo, aiebant nondum esse desperatum, neque omnino desperandum de scientiis, certa que comprehensione veritatis: Arcesilaus vero mediæ Academiæ magister ac princeps, eiusque discipuli, de scientiis actum esse, & de comprehensione veritatis desperatum ac desperandum dicebant: Ita vt nullus humanæ menti supersit occurratque modus, quo, Arcesilai opinione, veritatem: rectè tutoque possit assequi, & comprehendere. Atque hæc quidem fuit ratio doctrinæ, nouorum & mediocum Academicorum, & Pyrrhonorum; si quæ tamen doctrinæ ratio aut forma esse potest apud eos qui de omnibus dubitant, nihilque approbant. Quamquam & suæ dubitationis, ἡ τῆς ἐποχῆς, rationem Pyrrhonij reddebant; qui scilicet assensum ideo retinendum esse dicebant, quod nuntij, testes, siue exploratores veritatis, id est, sensus, & ratio, duo illa κριτήρια ὀργάνα, incerti essent nec fidi; atque adeo neutri fidendum esse concludebant. Cum enim duo tantum testes adsunt, & vterque à seipso, & alter ab altero vicissim reprehenditur, vtrique fides est deroganda. At omnes sciunt sensum sensui contradicere, intellectum intellectui, siue rationi; & rationem sensui, & sensum rationi. Nam sensus sensui: siue visum, visio;

apparentia, apparentiæ; phantasia, phantasiæ repugnat; dum turris, v. g. vna & eadem, nunc rotunda apparet, nunc quadrata. Ratio verò rationi aduersatur, cum colligit ex mundi structura & ordine admirabili, necessario esse aliquam Dei providentiam; & cum nullam contra providentiam esse concludit, quod scelerati impiique homines bonis & honoribus abundant, altaque pace fruuntur, iusti autem & sapientes, paupertate, probris, multisque aliis malis opprimantur. Ratio denique sensui, sensus rationi refragatur & obstitit, dum sensu & phantasia nix candida iudicatur; ratio verò minimè candidam esse demonstrat: quia sit aqua concreta. Item dum sensus iudicat esse motum localem, siue corpora loco moueri; ratio autem contradicit, hoc argumento: Si res loco mouerentur, vel eæ mouerentur vbi sunt, vel vbi non sunt: sed neque mouentur vbi sunt, siue in suo loco, quia motus localis aliò tendit, resque ex vno in alium locum transfert, alioqui non esset motus; neque etiam mouentur vbi non sunt. Quia motus rei in loco supponit rei præsentiam in tali loco. Ergo res non mouentur loco, atque adeo non datur motus localis. Quid igitur facias, dicebat Pyrrho, quo te vertes? cui potius fidem habebis, sensuiue, an rationi? At ille fallax est, & impostor: hæc mendax, & insolens. Hic Scylla, illic Charybdis.

Inter vtrumque vola, medio tutissimus ibis;

Certè si bene iudicas, neutri iudicabis esse credendum. cum sensus sensum, ratio rationem, ratio sensum, sensus rationem reprehendat: & quasi accuset falsitatis. Satis ergo est propter illam ἰσοδειαν, æquilibrium, pariaque pondera & momenta probabilitatis, iudicium suspendere, assensum cohibere, & in illa tutissima epoche, tanquam in arce, consistere. Dogmatici verò, & scientiarum Assertores, qui certarum saltem plurimarum comprehensione freti, Aporeticos Scepticosque exploserunt; validisque rationibus eorum inania fundamenta diruerunt; in varias etiam classes sectasve fuerunt distributi; quæ quidem sectæ ab Auctoribus ipsis, vel à Scholarum locis, vel à moribus & viuendi modo, vel à certa docendi ratione, seu actione aliqua nomen acceperunt. Sic secta Pythagoreorum, Epicureorum, Platonicorum, à Pythagora, Epicuro, Platone, nominata est; Secta Stoicorum, ὑποπῆς, à porticu Athenarum, quæ ποικίλη à picturæ varietate vocabatur, in qua scilicet Zeno Cisticus Stoicorum Princeps, Philosophiam professus est, Secta Academicorum veterum, ab Academo, siue Academia, nemoroso quoddam Athenarum suburbano, in quo plato veteris Academiæ Princeps do-

cuerat. Secta Cynicorum, à canino viuendi modo, & reprehensionum morfu, ac rigore, quem Diogenes, Cynicus siue canis Philosophorum dictus, sectabatur & affectabat. Secta denique Peripateticorum, ἀπὸ τῆς περιπατεῖν, à deambulando, quòd eius auctor Aristoteles in Lyceo Athenarum etiam loco deambulans doceret, & cum discipulis differeret.

Hi igitur omnes varia de rebus Dogmata statuerunt, secundum varios comprehensionis & intelligentiæ modos, quos in inuestiganda veritate secuti sunt. Sic enim Pythagoras per numeros, Empedocles per discordiam & concordiam, Leucippus & Democritus per atomos, Anaxagoras per Mentem & Chaos, Plato per ideas & figuras Mathematicas & lumen, Aristoteles per motum, res, rerumque principia penetrasse creduntur. Porro licet Hippobotus libro de Sectis, nouem vniuersim sectas, ἑνὴν καὶ ἑκάστην, & instituta Philosophorum commemoret; Megaricam ab Euclide Megariensi, Eretricam à Menedemo Eretrienfi, Cyrenaicam ab Aristippo, Epicuream ab Epicuro, Anniceriam, Theodosiam, Zenoniam siue Stoicam à Zenone Cittieo, Academicam veterem, (quæ scilicet antecessit Arcefilaum & Lacyden, hunc nouæ, illum mediæ Academiæ Principem,) à Platone; Peripateticam, ab Aristotele; ipseque Hippobotus, Cynicam, Eliacam, & Dialecticam dicatur præterisse, imò & Pyrrhoniam, quam multi ἀσέβητον ἀσφάλειαν, incertitudinem & obscuritatem reijciunt, vt loquitur Laërtius; omnes tamen quotquot sunt, ad duas principes familias solent reuocari; Ionicam, cuius pater fuit Thales, à Mileto Ionix ciuitate Milesius cognominatus; & cui ordine successerunt Anaximander, Anaximenes, Anaxagoras, Archelaus, Socrates: & Italicam, cuius caput fuit Pythagoras, qui licet patria Samius fuerit, quia tamen in ea Italiæ parte quæ nunc Calabria, olim magna Græcia dicebatur, philosophiam professus est, ideo Italicæ familiæ auctor fuit nuncupatus. Pythagoræ autem successerunt ordine Thelages, Xenopharies, Parmenides, Zeno Eleates, Leucippus, Democritus, Nausiphanes, Epicuri præceptor, à quo secta Epicureorum, ideo condemnata, quod ad voluptatem referat omnia, & summum bonum in ἀταραξία, vacuitate perturbationum & dolorum constitueret, ἡ δὲ τῶ ἀταραξίας ἔστιν, vt loquitur ipse Epicurus epistola ad Pythoclem. Sed fortasse non est hæc adeo iusta reprehendendæ Epicureæ Philosophiæ causa, vt plerique putant. Quis enim credat, hominem cum verè perfectèque beatum esse, qui animi perturbationibus quasi tempestatibus agitetur, aut qui crucietur doloribus?

Nonne voluptas, beatitudinis, si non essentialis ratio, vt scholæ loquuntur, saltem proprietas aliqua est, & perpetua comes, vel insigne ornamentum voluptas, inquã, ea quæ animi est, pura scilicet, honesta, & quæ actionem virtutis, vel contemplationem comitatur? Hoc sanè tradit Aristoteles lib. 10. Ethic. ad Nicom. quem sequuntur omnes, qui ex Boëtio fatentur rectè definiti. *Beatitudinem, statum omnium bonorum aggregatione perfectum & cumulatum.* At inter bona omnia præcellit εὐφροσύνη, animi pax, dulcedo & tranquillitas, ab Epicuro inuecta. Est. Corporea voluptas, puta gula, veneris, tanquam fœda, & illicita reijciatur. At quæ animi est, cum talis esse non possit, nisi cum virtute, & sapientia, diuinoque cultu coniuncta sit; ea sanè diuina est, honestissima, purissima; atque, vt verbo dicam, vel ipsa fœlicitas, vel sociæ fœlicitatis. Ideo Cyrenaicos, eorumque principem Aristippum, præstitisset condemnare, qui humanæ vitæ studium omne, & Philosophiam suam referebant ad voluptatem corporis, id est, ad aliquam titillationem, motumve blandum & suauem qui sensu perciperetur. Iustiores igitur ob causam damnatum esse Epicurum, virum alioqui temperantem, & continentissimum crediderim; quod scilicet diuinam providentiam è rebus humanis sustulisse videatur: licet alioqui Deum beatissima frui immortalitate palam publiceque doceret ac profiteretur. Sed & hunc ipsum, vt & Democritum, Protagoram, Theodorum, & Diagoram, exculari adhuc in eo posse aiunt nonnulli, quod non quidem absolute negauerint Dei providentiam, quæ lumine naturali potest facillè demonstrari; sed quod voluerint non esse in Deo providentiam eam, quæ sit cum cura, sollicitudine, diffidentia, metu, & animi anxietate coniuncta: qualis plerumque hominibus inest, quibus operosa & difficilis est suarum & alienarum rerum cura & administratio. At certum est talem in Deo non esse providentiam, sed eam solam, quæ omnis molestiæ expers est, atque ex ineffabili sapientia, immensa bonitate, summaque voluptate proficiscitur: quam fortè non satis exploratam perspetamque veteres illi habuerunt. Relicto igitur Epicuro, eiusque expulso & damnato grege, omnis Italicæ familiæ propago facillè defloruit, solaque superstes mansit Ionica: quæ cum priscis temporibus rudis fuisset & balbutiens, atque, vt loquitur Aristoteles, ἀλλοτρίως, in Socrate formam accepit expressiorem; è cuius schola prodire tandem tres illi Philosophorum summi ordines omniumque celeberrimi: quorum videlicet singuli auctores, ipsius Socratis auditores fuerunt, vel eius audito-

Boetius.

Cap. 7. 1.
1. Meta-
physic.

rum discipuli. Primus enim ordo fuit Academicorum, quorum summus Magister fuit Plato, Socratis discipulus; è cuius doctrina deflecentes Arcefilaus, & Lacydes, hic quidem nouæ, ille mediæ Academicæ ante signanus, nihil sciri posse contenderunt. Secundus fuit Stoicorum: quorum dux fuit Zeno Cittieus, discipulus Cratetis Thebani: qui quidem Crates, Arcefilai etiam præceptor fuit, & Diogeni Cynico successit; Diogenes autem Cynicus Antistheni Cynicæ sectæ parenti, qui Socratis fuit auditor. Tertius fuit Peripateticorum, quorum Coryphæus extitit Aristoteles, Platonis quidem per viginti annos discipulus, sed qui prius Socratis per triennium integrum auditor fuerat.

Et Academici quidem veteres ac primi, more Socratis, in veritatis inquisitionem ita incubuerunt, vt scientiam dissimulantes, in omnem sese partem verterent differendo, nihilque ex se asserendo, sed ex aliorum confessione concluderent: De iis vero quæ ad affectum pertinent, sic statuebant, vt nihil per se honestum, turpe, malum, iucundum, sed opinione, & instituto hominum tale esse dicerent. Stoici autem contrà, audacter de rebus sentiebant, tamque multa per se certa & indubitata adstruebant; vt etiam somniis fidem haberent: sed & æqualia esse vitia contendebant, nec minùs peccare aiebant, qui gallum gallinæcum, cum non esset opus, quam qui patrem occideret. Item ἀπαίδειαν inducebant, eumque sapientem ac probum non esse dicebant, qui affectu aliquo etiam misericordiæ commoueretur. Omnia etiam fato & necessitati subiecta esse. Et alia pleraque seuerè ac pertinaciter asseriebant. Sed Peripatetici, Stoicorum & Academicorum errores oppositos, quasi vitia duo extrema fugientes, veram, germanam, solidamque philosophiæ rationem inierunt. Illi enim, duce Aristotele, multa certissima esse, indubitata, ac per se nota, vt principia siue axiomata scientiarum, docuerunt. Alia etiam, quæ horum firmitate ac perspicuitate essent certa & vera, vt conclusiones & Theoremata scientiarum; alia quæ minus certa & euidencia, alia denique probabilia & verisimilia, vt colligere est ex libris Analyticorum, Topicorum, item lib. 4. Metaphys. & aliis locis. Atque vt illi in veritatis disquisitione expeditissimam Methodum secuti sunt; sic & in doctrina morum ac virtutis pariter excelluerunt, vt videre est libris Ethicorum ad Nicom. Magnorum Moral. & alibi passim, vbi Aristoteles ad virtutem refert affectus ad mediocritatem redactos, & egregie de fine optimo siue beatitudine humana (inde meritò Ἀριστοτέλης quasi ἀρίστην τέλην, appellatus) philoso-

phatur. Sed & vt de Naturâ vberrime & optime differuit Aristoteles; sic de Deo rebusque diuinis non pauca præclare demonstrauit. Neque vnquam in superstitionem Stoicorum aut impietatem Academicorum prolapsus est: Imò verò ad Christianæ fidei veritatem fere in omnibus, si mundi æternitatem excipias, videtur accedere: quippe qui demonstrat asseratque constanter, Dei Optimi, Maximi, existentiam, vnitatem, infinitatem, immutabilitatem, æternitatem, indiuisibilitatem, spiritualitatem, fœlicitatem, prouidentiam, iustitiam, denique summam eiusdem erga sapientes probosque homines amicitiam & charitatem. lib. 7. & 8. Physic. libro, vt nos restituumus hac editione, 14. Metaphys. qui hætenus perperam habitus fuerat, 12. lib. 10. Ethic. ad Nicom. cap. 9. lib. 2. Magnorum Moral. cap. 8. & alibi. Quæ cum ita sint, mirum esse non debet, quod præ aliis philosophorum ordinibus & Sectis Peripatetica laudem & famam habuerit; atque eam vnâ probè tandem discussam & examinatam Ecclesia Dei, orbisque vniuersus notatis reiectisque erroribus paucissimis, qui apud Academicos & Stoicos erant quamplurimi, ambabus, vt aiunt, vlnis amplexus sit; ita vt solus penè Aristoteles in Scholis auditus fuerit, solus in Philosophia leges & præcepta dederit, atque Ecclesiæ Catholicæ permisso & auctoritate, sic fuerit eius doctrina selecta & emendata; vt non aliis fundamentis aut adminiculis sternereturque hoc tempore vniuersa Philosophia, quàm vnus Aristotelis sapientia, decretis, atque institutionibus.

Sectam igitur Aristotelis, quæ est Doctrina Peripatetica, & nos omni studio amplectimur, & retinendam semper censemus: qua scilicet nulla melior, nulla verior, præstantiorque vnquam extiterit: ita tamen vt si quid vitij aut erroris, (quod per raro contingit,) interdum proferat, id secundum Ecclesiæ decreta, repudiemus: & si quid in aliis sectis laudabile est & præclarum, non aspernemur.

Est verò secta Peripatetica ex vno præsertim Aristotele tanquam ex principe æstimanda ac perdiscenda; tum ex Theophrasto, Alexandro Aphrodisiensi, Themistio, Auerroë, (qui ἄρ' ἐξοχλῶν dictus est Commentator,) D. Thoma, Simplicio, Philopono, Cæsare Scaligero, & alijs primè notæ Interpretibus.

Quod si, vt fit, Peripateticam doctrinam audias à nonnullis vituperari, & Aristotelem ipsum contemni: scias velim nihil esse tam diuinum tamque sacrum, quod sacrilegum & blasphematorum non inueniat, & Zoilos illos, ferè viles esse grammaticulos, aulicos, idiotas, sciolos, rudes, in doctos,

Etos ἀμείβομαι, qui cum vix apte loqui, ne dum iudicare sciant, interim invidia rumpuntur, & fœdæ ignorantiae vineulis constricti, ut canes catena, clarissimum Philosophiæ sydus, quod mordere nequeunt, importunissime allatrant. *Canescet Aristotelis philosophia seclis innumerabilibus*; & Diana hæc splendidissima, in cœlo veritatis fulgens, & ad canum latratus sapienter obsurdescens, non desinet cursum perficere suæ immortalitatis. Rectè Plutarchus in calumniatores Aristotelis, pronuntiat: Eorum omnium qui in Aristotelem scribuntur, etsi tota disciplina sapienter instituta sit, istamen, propter audaciam criminandi, inquit, à cœtu Philosophorum excluduntur.

Philo. Iud. Enim vero quod pupilla in oculo, quod in anima mens, quod in Græcia Athenæ; hoc in orbe Philosophiæ, est Doctrina Aristotelis.

Ingenium, Stylus, Oratio, Methodus, Libri Aristotelis. Dissertatio undecima.

Æquum verò est rectæque rationi consentaneum, ut cui Imperatori in Philosophica militia fidem dedimus, & in cuius verba & doctrinam, salua veritatis integritate, iurauimus; eiusdem natales, ingenium, industriam, stylum, Methodum, opera, librosque agnoscamus, & recenseamus.

Aristoteles, Nicomachi insignis Medici, & Phæstiadis filius, genere seu natione Macedo fuit, patria Stagirites, ter centum octoginta & vno annis natus, ante Christi Domini Natiuitatem, Socratis per annos tres, Platonis per viginti, auditor studiosissimus, diligentissimus, ingeniosissimus, atque hic à præceptore Platonis *νοῦς mens*, itémque, *τῆς ἀληθείας φιλόσοφος, veritatis Philosophus* appellatus: ut tandem qui Alexandro Magno Philippi Macedonis filio, præceptor admoueretur, & postea Philosophiam & Rhetoricam publicè in Lyceo profiteretur, dignissimus fuerit iudicatus. Quo in negotio sic se gessit, ut & Alexandri animum mirificè sibi demeruerit; & magni Rhetoris, summique Philosophi nomen & gloriam conciliauerit. Docuit verò philosophiam quidem horis matutinis, Oratoriam, pomeridianis, ambulans in Lyceo per tredecim annos: & Sectam inibi peripateticam instituit: tandemque in Regia Philippi & Alexandri diu multumque versatus, postquam in Chalcidem Eubœæ urbem venisset, & Theophrastum successorrem delegisset, annum agens circiter sexagesimum tertium, ex hac vita decessit;

Tom. I.

dolore simul ac spe in lacrymas precésque profusus, quibus Dei, entis entium, primæque causæ misericordiam dicitur sic implorasse: *Nudus veni, dubius vixi, incertus morior, quò vadam nescio, Tu Domine, ens entium, miserere mei.* Sed notatu dignum est quod nonnulli aiunt, cum Homeri sententiam ex Odyssea vehementer approbasse, qua non esse immortalibus diis indecorum dixit, hominis induere naturam, ut ab erroribus & peccatis auocentur mortales. Hinc enim colligunt, Aristotelem, Christi Domini Incarnationem & aduentum præsensisse. Qua de re lege, si placet, Cœlium Rhodiginum, cap. 34. libr. 17. lectionum antiquarum. Stylus Aristotelis eiusve oratio, & scribendi modus, brevis est, concisus, grauis, proprius, purus & excultus. erat enim Aristoteles (etiam iudicio Ciceronis) *non solum in Philosophia, sed in dicendo, singularis, vix summo ingenio, scientiâ copia, quò nihil politius, nihil acutius, & aureum eloquentiæ flumen.* Quamquam obscurus videtur & difficilis in libris acroamaticis sine ætiologicis; ubi causæ & principia rerum, & similia maioris momenti dogmata disquiruntur. Sed causa obscuritatis non tantum ex Aristotelis animo & voluntate, qui eam affectasse dicitur, repetenda est; sed ex rebus ipsis obscurissimis, & maxime ex tarditate, & hebetudine lectorum, vel auditorum qui doctrinæ peripateticæ maiestati minus sunt assueti.

Est etiam Aristoteles ordinis amantissimus, & præcipuus Methodi magister; ita ut nihil fere vnquam aggrediatur, nisi prius rationem docendi methodumve præscripserit, & cur de hac potius quam de illa tali ordine pertractet, admonuerit: seruauit autem in physicis Methodum Syntheticam, siue compositionis à principijs, partibus, causisque, puta; à materia, forma, priuatione, causa efficiente, materiali, formali, ideali, finali, summisque proprietatibus corporis naturalis, procedendo ad ipsa principiata; tota, effectusque, id est, ad ipsa corpora naturalia, simplicia primò, scilicet cœlos & elementa; deinde mixta, tam imperfecta, ut meteora, quam perfecta, ut metalla, & viuientia. Itavt priore loco inanimata, posteriore animata exposuerit, eumque ordinem tenuerit in Theoria animatorum, ut ea primò quæ ad animam Vegetatricem; 2o. quæ ad Sentientem; 3. quæ ad Rationalem siue intelligentem pertinent; fuerit admirabili ingenio & industria persecutus, ut qui à simplicissimis, scilicet materia & forma inceperat, & per minus composita progressus fuerat, in compositissimis, ut ita loquar, & elaboratissimis naturæ operibus, id est,

C

in animalibus, eorumque præstantissimo, nempe homine, sapienter desineret, Ibi enim desinere dicitur Physicus, vbi incipit Medicus; id est, in homine; in quo, vt in naturæ summo artificio, Physiologia finem ponit suæ contemplationis. In Ethicis vero siue Moralibus ad Nicomachum secutus fuit Aristoteles Methodum Analyticam siue resolutionis, à fine ad media, ab effectu ad causas & principia progrediens id est à summo bono seu beatitudine, ad eius causas, nempe virtutes; & principia, nempe electionem, siue *προαιρεσιν*, & τὸ ἐκόνσιον, & cætera. Hic enim media ad finem, & virtutes ad felicitatem, se habent vt causæ efficientes ad effectum. Ita vt finis comparatione mediorum quibus obtinetur, propriè effectus censeatur. Sed hæc Methodi ab Aristotele, obseruatæ particulares sunt & certis scientiis siue sermonibus alligatæ. Solet ergo in vniuersum Aristoteles ea ratione ac Methodo philosophari; vt ante omnia proponat id de quo differere instituit: tum exponat citetque veterum sententias: tertio eas diligenter examinet & discutiat; vt si quid non rectè dictum comperiat, illud refutet, si quid bene dictum sit, illud approbet assumatque: sic enim fit vt ex dictis inuentisque aliorum qui prius philosophati sunt, posteriores sapiant, & accuratorem rerum intelligentiam consequantur: Denique suam ipse sententiam explicet, stabiliat, confirmet, inductione, ratiocinatione, autoritate. Ita tamen vt nihil vnquam decernat, leges nullas aut axiomata fanciat, nisi ex ijs quæ vel semper, vel vt plurimum fiunt. Neque verò quidquam, gratis, vt aiunt, asseueret, & ἀναπολογίτως, sine redditione causæ, & sine fundamento. Turpe enim est hominem Philosophum, inquit Lactantius, id dicere quod probare non possit. Adde solere Aristotelem, propositam quæstionem prius & Dialecticè in vtramque partem agitare, quod vocat libro tertio metaphys. τὸ διὰ πρόησιν ἰσχυρῶς, bene dubitare, aitque maximè conferre ad veritatis certam cognitionem, si primo bene dubitemus: id est, si pro vtrauis parte rationes vltro citroque afferamus, easque diligenter excutiamus. Deinde verò repetito altius principio Analyticè & Philosophicè agamus, & quæstionem clarè distinctèque definiamus, quæ docendi ratio omnium profectò accuratissima est & præstantissima; Et hanc seruat præsertim Aristoteles in Physicis, Metaphysicis, & Politicis, vbi non rarò legas, ἴσως, fortasse, οἷον, quasi, ὡς tanquam dubitandi ex sua quidem significatione particulas; non quod reuera decretum suum ac definitionem, puta naturæ animæ, in dubium reuocet Aristoteles, quam

Cap. i.

vt certam ponit; sed quòd Stoicæ ac Sophisticæ arrogantia in decernendo suspicionem velit effugere, modestamque amet philosophiam. Quantum enim in Peripatetica oratione ac stylo puritatis est & munditiei, tantum in sentiendo modestiæ re-
lucet & honestatis.

In iudicio igitur de præstantia ingeniorum, palma pœseως detur Homero. Certent septem clarissimæ vrbes de eo sibi vendicando. Tribuant alij primas ingenij partes Hippocrati Coo, eique ob insignem & planè admirabilem in medendi arte peritiam, statuum erigant immortalitatis; cuius scilicet dogmata & Aphorismi tanta certitudine nitantur & fulgeant, vt nemo vnquam à totis bis mille annis, eos conuelleret aut erroris arguere potuerit. Socratem appellent alij patrem Philosophorum, appellet numeris honorificis ipse Delphicus Apollo seu Pythiæ oraculum, ἀνδρῶν ἀπάντων Σωκράτιω σοφώτατον. Laudent alij Platonem, diuinumque clamitent, admirantes; dicant, in Platone ornamenta illa ingenij, quæ in orationis splendore & eruditione posita sunt, mirificè enituisse. Dicant, omnia in Platonis operibus adeo plena esse lectione antiquitatis, ita ornata & polita, vt non sine causa dictum sit, Iouem, si Græcè loqui vellet, Platonico sermone locuturum. Iactent alij alios. Nos sane à veritate coacti, ingeniorum, Philosophiæ, doctrinæque multiplicis, verioris, altioris palmam vni Aristoteli adiudicandam esse censemus, qui humanæ sapientiæ sit quasi parens, ac verè Philosophorum omnium; excellens præterea Rhetor, Poëta, Historicus, Grammaticus, Criticus, Mechanicus, sed & insignis Mathematicus, præstans Medicus, & Dialecticæ artis auctor primus ac subtilissimus. Quam laudum congeriem is demum veram esse sciet, qui in Aristotelis operibus ac libris fuerit diu multumque versatus.

Quippe libros Aristoteles edidit quamplurimos, eosque materia & stylo, siue scriptionis modo admodum differentes. Itavt eorum partitio vna fiat, ratione materiæ; id est, rerum quæ in iis tractantur. Hinc libri alij vocantur Rhetorici, qui vel ad Alexandrum, vel ad Theodectem; alij Poëtici, alij Mathematici, vt de lineis insecabilibus, & quæstiones Mechanicæ; alij Philosophici, qui vel sunt Logici, vel Physici, vel Ethici, Oeconomici, Politici, Evdemij, Metaphysici; Altera verò fiat ratione formæ siue styli, vel modi scribendi. Hinc enim libri alij dicti sunt, ἀκροαματικοί, vel ἑπισημονικοί, auscultatorij, scientifici, qui scilicet de rebus grauissimis, subti-

Cap. ultimo
lib. Elench

liore & accuratiore docendi genere pertractant, eamque doctrinam continent, quæ vix comprehendi possit sine vivâ voce præceptoris à discente diligenter auditâ & præceptâ: ut sunt Analytici quatuor, tam priores quàm posteriores; Physici octo, quatuor de Cælo, duo de generatione, & corruptione, tres de animâ, quatuordecim Metaphysici, & Ethici etiam decem, ac Politici octo, licet Moralium libri facilius esse videantur comprehensionis: Alij verò vocati fuere, ἐξωτερικοὶ ἔσχυλοι, ἔτυπικοὶ, *externi, circulares, figurati*, qui scilicet de rebus sunt communibus & facilioribus, nec adeo exquisita exactâve Methodo conscripti. ita ut hominum circulis ac multitudini sint accommodati, resque popularibus argumentis, ut exemplis, similitudinibus & figuris exponant: Ut sunt libri de Historia & generatione Animalium, de Rhetoricâ, de Arte Poëtica, de Mirabilibus auditionibus, de Virtutibus & vitiis, & consimiles. Quamquam & Typicos sermones miscet interdum, inseritque Aristoteles acroamaticis, & Dialecticos apodicticis, ut res fert & occasio. Sanè videntur libri de partibus animalium, & de generatione, partim acroamatici, partim exoterici, & mixta quadam scribendi ratione compositi: quippe qui nunc altiore stylo procedentes, scientifica & gravissima contineant ἀποδείγματα, siue documenta; nunc historias veluti stylo populari enarrare videantur. Quo loco non erit iniucundum scire, ob Physicam Animalium quinquaginta voluminibus descriptam, Alexandrum Magnum dono dedisse Aristoteli octoginta talenta, ut refert Athenæus

lib. 9. Deipnosoph. cap. 20. quæ summam faciunt quadringentorum & octoginta millium aureorum Gallicorum. Atque licet Diogenes Laërtius ingentem librorum Aristotelis Catalogum describat, & usque ad quadringentos numeret, quod mirum in homine tot annos in Philippi & Alexandri Magni regia occupato; vix tamen nobis superfuerunt centum triginta, expunctis scilicet tanquam spuris duobus illis, *ἡ ἐὶ φυτῶν*, de plantis; & aliis quatuordecim de secretiore parte diuinæ sapientiæ secundum Ægyptios, qui falsò Aristoteli attribuuntur, ut in Synopsi docebimus. Quamquam & hi quos spurios vocamus, dici possint Aristotelis, non quidem eius Stagiritæ præstantissimi, sed aliorum qui eodem nomine erant insigniti, & qui illius fuerunt fortè discipuli. Plures enim fuisse Aristoteles testatur Laërtius in vita nostri Stagiritæ, qui tamen inter omnes alios *tantum caput extulit. Quantum lenta solent inter viburna cupressi.* Seriem porro ac numerum librorum Aristotelis qui nunc extant; legere licet in Indice duplici: vno quidem, qui priori tomo præsentis editionis præfixus est; altero, qui posteriori. Quamquam & nostræ Synopses ordo ac methodus Aristoteli in omnibus futura conformis, seriem eandem operum omnium Aristotelis luculenter declarabit. Hanc igitur Doctrinæ Peripateticæ Synopsin par est ut nunc auspicemur; quæ enim dicta sunt hæctenus; & Proæmij, vel potiùs expeditæ cuiusdam χειρονομίας, siue Manuductionis loco explicata, viam nobis apertam, tutam facillimamque fecisse videntur ad Philosophiam Aristotelis.

Finis Apparatus.



PROPÆDIA NOVA AD PHILOSOPHIAM,

S I V E

A P P E N D I X

AD APPARATVM, DE TEMPERAMENTO AD PHILOSOPHANDVM IDONEO.

PRÆFATIVNCVLA.



QUOD Sapiens ille Hebræus Salomon populi Israelitici Rex pacificus ac potentissimus fecisse dicitur, dū sacrosanctum illud templum ac tantopere decantatum Domino Deo exstrueret, In cuius scilicet templi portieu Columnas duas statui erigique iussit, quarum vnam quæ in dextra parte sita erat, Iachim vocavit, quod nomen latinè redditum præparationem significat; alteram, quæ in sinistra parte erat, Boos appellavit, vt si latinè diceret. In fortitudine vel fortitudinem: Quarum quidem Columnarum capitibus in modum Epistilij siue Capitelli lilia (vel vt loquitur Scriptura sacra, 3. Reg. cap. 7. Opus in modum lilij imponi curavit: Id nos qui Philosophiæ templū sanctissimum in quo veritas & virtus quasi duo numina adorantur, mox exstruere; ac ingredi statuimus, præstare debere sapientissimi Regis exemplo operæ pretium putauimus, vt antequam Philosophici illius templi fores aperiamus aut sanctiora eius penetralia subeamus, Columnas veluti duas in portieu Propædiæ huius statuamus, priorem, quæ erit instar Iachim præparans videlicet vel præparationē aliorū ad rite philosophandū vbi de Temperamento ad Philosophiam idoneo breuiter differemus; breuiarij Philosophici posteriorem, quæ erit instar Boos fortitudo scilicet aut fortissima certissimāq; ingeniorum; aut si ita fas est loqui, fundamentalis institutio, quā velut expeditiore compendiolo scientiarum omnium fundamenta, principia, videlicet, de-

initiones, diuisiones & axiomata vnde scientiarum vis, robur, & certitudo existit continente, mentes imprimis fundatæ ac decenter institutæ, ipsius Philosophiæ ornatissimum ædificium templūque facillime sustineant totūque possideant.

Quoniam igitur Philosophari, scientiæque alioqui difficiles, nemo assequi facile ac expedite potest nisi rite fuerit animus præparatus atq; vt par est dispositus benèq; compositus; Eiusmodi autem præparatio à temperamento corporis certaque humorum symmetriâ & commoderatione dependeat, propterea de temperamento illo idoneo ante omnia dicendum est.

Propædia Columna prior, animum in intelligendo dependere à temperamento corporis.

ARTICVLVS I.

Illustrioris doctrinæ causa præmittendæ sunt aliquot hypotheses, eæque clarissimæ.

1. Constat homo anima & corpore; illo quidem vt forma & principio actiuo, hoc vt materia & principio passiuo.
2. Corpus in gratiam animi conditum est ipsique deseruit vt instrumentum artificij, ideo anima ipsū informat, mouet, perficit, atque vt loquuntur scholæ, actuat, dum ei vitam, motum, sensum, aliâque viuientium officia impertitur, vnde definitur, actus; id est perfectio organici corporis, ex Arist. l. 2. de anima.

3. Omnes homines natura scire desiderant, ex cap. 1. lib. 1. Metaph. Quia scientia hominem ut homo est ornat perficitque maxime, vnumquidque autem suam maxime perfectionem appetit. Si enim ide chari sint sensus quod nobis cognitionem aliquam afferant, propterea enim visus charissimus est, quia res plurimas manifestat, erunt nobis scientiæ multò chariores, quia cognitiones pariunt excellentiores quibus mens illustratur ad rerum omnium comprehensionem.

4. Scire & philosophari, atque adeò Philosophia & scientia idem apud omnes & ex communi sensu significant.

5. Omnis cognitio duplex, mentis vna, quæ dicitur intellectio vel cognitio intellectiua; ut est ratiocinatio; sensus altera, quæ dicitur sensitiva, ut visio, quæ fit à sensu videndi cuius organum est oculus.

6. Scire siue philosophari, vel scientia siue Philosophia est cognitio mentis siue intellectiua, nõ sensus, alioquin bestia philosopharentur quæ scilicet compotes sunt sensus, adeoque sensitivæ cognitionis. Certum autè est solum hominem philosophari res quasuis definiendo, diuidendo, & de iis componendo demonstrationes ac methodos.

7. Philosophia & scientia cognitio est intellectiua, vera, clara, certa, rerum omnium per causas, ut nosse hominem esse risibilem, vel capacem scientiarum quia & rationalis, cognitio est scientifica, quæ est dicitur apodictica vel demonstratiua quia causam explicat ratiocinando.

8. Philosophia omnis vel est theoretica, cuius finis est sola contemplatio veritatis, ut Physica quæ res naturales contemplatur, nec facit; vel practica cuius finis est opus vel actio, ut Dialectica quæ conficit opera mentis ut pote definitiones, Syllogismos; & Ethica cuius finis est actio virtutis.

9. Cognitio intellectiua hominum dependet à sensitiva, humanaque; intellectio fit ope phantasmatum, phantasmata autè sunt imagines rerum sensibilium, quæ scilicet sensum mouent & ab eo excipiuntur.

10. Cognitio sensitiva depèdet ab organis sensuũ ut visio ab oculis, auditio ab auribus.

11. Necessè est organa sensuum ut bene officijs suis defungantur, esse rite conformata, bonaque temperie prædita, alioqui vitiosa erit & deprauata sensatio, sic visus ab oculo bene temperato benèque conformato dependet, alioqui si oculus male fuerit conformatus, ut in mydriasi quæ est nimia pupillæ dilatatio, & in strabismo seu conuulsione oculi, ipsa visio deprauabitur.

His igitur ita constitutis positisque documentis longe certissimis licebit hunc in modum eleganter ratiocinari.

Hominis animus diuinæ conditionis par-

riceps, naturaque sua, ut pote de genere spiritualium substantiarum, immortalis, dum liber est, solutusque à corpore, ipse per se sine corporis adminiculo aut sensuum ope, rerum essentiam ac proprietates perspicue contèplatur & intelligit, clarissimaque omnium cognitione perfruitur Angelo simillimus; at cum primum in terreni mortalisque corporis ergastulum obscurius crassiusque veluti deiicitur, suã illa spiritali luce & claritate destitutus, & quasi Letheo flumine immerfus, ignorat omnia, nihil videt, nihil percipit, nihil intelligit aut cõtèplatur, sciendi interim desiderio exæstuans.

Hanc autem sciendi naturalem sitim, ac cognoscendam rerum innatam cupiditatem cum diu ferre non possit, utpote ad contèplandum præcipue natus, eam idcirco explere, aut aliquã saltem ex parte leuare omni studio contendit. Atque hoc quidem cum assequi aliter non possit quam corporis ministerio & ope phantasiæ sensus & organorum quibus est fato quodam legèque naturæ, & ipso informationis vinculo alligatus, vltro se se ad corpus suum ut ad instrumentum naturale, & ad sensus tamquam ad ministros eorũque organa conuertit, ut ex ijs suam hauriat ac veluti emendicet cognitionem. Nempe quia nihil est in intellectu (ut aiunt Philosophi) quod prius non fuerit in sensu, & cognitio intellectiua à sensitivã primò dependet; scientiaque humana omnis ab experientia quæ in rebus sensibilibus & singularibus versatur, ortum habet.

Enimverò quisquis nihil vnquam vidit, nec audiuit, nec aliud quiduis sensibile percepit, is nihil imaginari, neque quicquam scire potest, ideò cæci nihil sciunt de coloribus, nec de lumine, cæci inquam à natiuitate; Nihil surdi de musica, nec sonis, quia illi carent sensu coloris & luminis, hi sonorum & musicæ.

Cum igitur animus quãdiu humano corpore organisque sensuum quasi caueã cancellisque inclusus est, (neque enim hic sermo est de animo prout sibi viuit, & per se subsistit extra corpus ut Angelus,) ab ipso corpore sensibusque dependeat, nihil que possit sine phantasia aut sensibus intelligere, intelligentem enim necesse est phantasmata speculari inquit Aristoteles 3. de anima, cap. 8. & 9. οὐδέποτε νοεῖ ἀνευ φαντασμάτων ἢ ψυχῆ, & postea, ὅταν δὲ θεῶν ἀνασχῆ ἅμα φαντασμάτων θεῶν. Oportet sanè animum alioqui spiritualement ab organorum recta cõformatione, à corporis temperamento, sensuumque integritate in intelligendi agendique officijs dependere, nõn secus atque in efficiendo, artificis cuiuslibet industria ab instrumentorum qui-

bus nece sſarid vti debet, bonitate prorsus dependet.

Iam vero corporis organa vt cerebrum, oculus, auris, sensusque adeo omnes tam externi vt visus, auditus, quam interni, vt phantasia, memoria, à primarum qualitatum nempe caloris, frigoris, humiditatis & siccitatis certâ commoderatione ac temperie omninò dependent, ita vt nulla actio, manifesta saltem, sine temperamento illo fieri possit; Ergo animus siue mens ab eadem temperie dependebit: Ita vt quo corpus fuerit temperatius, organa meliora, phantasia præstantior, sensus acutiores fortioresque, eo etiam animus ab iis dependens, & eorum operâ vtens sit excellentior, eo, inquam ingenium acrius, iudicium maturius, officia intelligendi vt Philosophicæ contemplationes, officia virtutum, consilia, humanaq; artificia, quæ à mente rectaque ratione proficiſcuntur, futura sint perfectiora.

Verum enim profectò illud est, quod à doctissimo Galeno Medicinæ genio clarè fuit demonstratum, animi mores & actiones sequi temperamentum corporis; Et quales sunt humores, tales esse mores, procliuitates & animos; vnde quia hominum temperamenta dependent ab influxu corporum cœlestium, à syderibus natalitiis & horoscopis, à parentibus, regionibus, ventis, tempestatibus, esculentis, potulentis & exercitationibus, ideo pro bonitate, aut vitio cœli, maligna, benignaque astrorum natalitiorum coniunctione, parentum valetudine, regionum, ventorum, & alimentorum varietate ingenia variant, suntque excellentiora, veldeteriora, mores meliores, aut vitiosiores, scientiæ artésque perfectiores, aut imperfectiores, Non quod ex commemoratis causis animus hominis libertasque ac voluntas vim aut necessitatem patientur, vel quoquo modo cogatur, sed quòd ad has & illas actiones virtutis, vitiaque magis inclinent ac disponantur.

A temperamento igitur vt à præparante ac disponente causas dependent ingenia, moresque hominum, scientiæ & artes, vt quò quisque felice ac excellentiore temperamento sit natus, eò præstantior futurus sit Philosophus, Legislator, Imperator, Medicus, Iurisconsultus, Rhetor, Poëta, Mercator, Artifex, & quiuis alius.

Quid sit Temperamentum, & quotuplex.

ARTIC. II.

Temperamentum generatim *ἡρώσις* Græcè, est certa primarum qualitatum

caloris scilicet, frigoris, humiditatis & siccitatis commoderatio & concentus, ex quatuor elementorum mixtione confurgens. Mixtio enim quæ est *ἡρώσις* *μικτῆς ἐνώσις*, miscibilium, id est, elementorum vnio, quibus mixta constant omnia, fit in gratiam temperamenti, ideòque definitur etiam temperamentum, finis seu perfectio mixtionis, vel forma mixti, quia forma & finis in rebus Phycis reipsa sunt vnum & idem.

In homine autem temperamentum est certa corporis humani, partiumque singularum, organorum, & humorum dispositio, è quatuor primarum qualitatum harmonia & commoderatione orta, ac veluti resultans.

Estque quadruplex: iuxta humorum quatuor, bilis nimirum, sanguinis, phlegmatis siue pituitæ, & melancholiæ distinctionem.

Primum enim dicitur biliosum siue cholericum, quod sequitur excessum cholerae prædominantis, estque calidum siccum, analogia quadam respondens igni, ætati, & iuuentuti. Secundum sanguineum, quòd sanguinis copiam & qualitates consequitur; estque calidum humidum, & respondet aëri, veri, & adolescentiæ. Tertium, phlegmaticum siue pituitosum, quòd excedentem pituitam sequitur, estque frigidum & humidum, & respondet aquæ, hÿemi, & senectuti. Quartum melancholicum, quòd nigram bilem siue melancholiam sequitur, estque frigidum siccum, & respondet terræ, autumnò, & ætati maturæ constanti & virili.

Quæ sint excellentiæ Rationes & Argumenta in singulis Temperamentis.

ARTIC. III.

Cum ergo quatuor sint eiusmodi genera temperamentorum, non est adeò facile definire, quòdnam eorù sit omnium excellentissimum, atque ad philosophandum vt & ad alias quaslibet animi functiones, artésve & conditiones humanas, seu vitæ genera magis idoneum. Nempe quia pro singulis temperamentis suæ pugnant, concluduntque, aut concludere videntur rationes & coniecturæ.

Quòd temperamentum biliosum præcellat, & ad ingenij excellentiam mentisque perspicaciam ac subtilitatem conferat magis, adeòq; ad sciētias artésque magis sit accommodatum, ex eo ostenditur, quòd igneus vigor, & calida siccaque temperies acuant maximè ingenium, eique tribuant comprehendēdi ac intelligendi celeritatē,

simulque agendi promptitudinem & alacritatem, hinc biliosi acres sunt, ingeniosi, celeres, expediti, magnanimi & audaces; hinc anima sicca vel splendor siccus animus sapientissimus Heraclito dictus est.

At contra præstare phlegmaticum temperamentum, hæc ratio videtur comprobare. Mollities enim carnis delicatulae, ingenij bonitatem & prudentiam testatur, ut durities aut crassities hebetudinem mentis, sensuumque imperfectionem, ut docet Aristoteles cap. 9. lib. 2. de anima. At temperamentum phlegmaticum mollitiem carnis inuehit, pituitosi enim sunt carne molliori, delicatula albicante, atque ideo pisces tenelli sunt molles, delicatuli; quia sunt phlegmatici & aquei; & forte an idcirco Spiritus Domini ferebatur super aquas, ut est in sacra Genesi, quia ab aqua siue aqueo temperamento sensus, mens & sapientia perficitur.

Iam verò bilioso & phlegmatico temperamento sanguineum esse præstantius, ex eo probari potest; quod vitæ principis sit conformius, calori scilicet & humiditati, producatque copiosum sanguinem; eumque purum ac dulcissimum, cuius ope actiones omnes animæ naturales, vitales, & animales facile & iucundè perficiantur. Sunt enim sanguinei ad omnia paratissimi; mansueti, amatores, hilares; urbani & ferè ad omnia se se componentes, & accommodantes. Imo & anima ipsa sanguis est, vel in sanguine, ut poëtæ dixerunt ut Critias.

Quod denique temperamentum omnium præstantissimum sit melancholicum, & ad mentis officia, ingenique excellentiam accommodatissimum docet Aristoteles, experientia demonstrat, ipsaque persuadet ratio; melancholici enim fideliter proposita quæque comprehendunt, discutunt; maturè examinant; iudicant, diu meditantur, constanter retinent; nempe ob siccitatem & caloris iustam moderationem.

Enimverò Aristoteles problem. 1. sect. 30. causam excellentiæ melancholicorum diligentius inquirat & explicat, hocque tanquam certum supponit, excellentes & ingeniosos viros omnes fuisse melancholicos, quod cum sit ad humana studia artisque & Philosophiam magni momenti, operæ pretium erit problematis sententiam breuiter explicando colligere, ut exposita ipsius Aristotelis opinione, iudicium nostrum de temperamento excellentiæ; & eo maxime quod ad philosophandum est magis idoneum, interponamus, ac deinde breuiarium Philosophiæ exhibeamus, & quasi alteram templi Delphici columnam præstituamus.

Judicium & sententia Aristotelis, de Temperamento excellentiæ, ex interpretatione Problematis 1. Sect. 30.

ARTIC. IV.

PRæclara & illustris tota sectio 30. Problematum Aristotelis, in qua scilicet quæstiones scitu dignissimas & curiosiora problemata proponit, exponitque ipse Aristoteles, de iis nimirum rebus quæ pertinent ad intellectum, prudentiam, sciētiam artes, ut v. g. quid causæ sit cur homo animalium sit prudentissimum? Cur homines cum ætate sunt prouectiori, & seniores, intellectu & iudicio valeant, dum iuniores, celeriter addiscant? Item cur homini potius quàm cæteris animalibus credendum sit? præterea cur medicus artem exercens consistat in sanitate; neque ulterius progrediatur? Item cur veteres corporum certaminibus, ut pote in ludis Olympicis præmia instituerint aliqua, nullum verò sapientiæ; & alia non pauca. Sed profectò omnium huius sectionis problematum pulcherrimum, curiosissimum ac locupletissimum est primum, in quo diligenter inuestigat Aristoteles causam excellentiæ temperamenti melancholici hac formula. *Ἄρα πῶς πάντες ὅσοι ἀειποιοὶ γέγονασιν ἄνδρες, ἢ καὶ τὰ φιλοσοφίαν; ἢ πολιτικὴν, ἢ ποιήσιν, ἢ τέχνας, φαίνονται μετὰ σχολὰ ὄντες.*

Quid causæ est inquit, cur excellentes quique viri siue in Philosophia, siue in rep. administranda, rebûsque politicis, siue in poësi, artibusque quibuslibet fuerint melancholici.

Ut problema siue quæstionem soluat, supponit primò, excellentes illos illustrésque viros reuera fuisse melancholicos, & probat, quia morbis iis, qui ab humore melancholico procreantur, fuerunt obnoxij, sic Hercules qui fuit vir illustrissimus, fortissimus & heroum præcipuus, Epilepsiæ, quam gignit humor melancholicus (hinc enim melancholici fiunt epileptici & contra ut docet Hippoc. 6. epidem.) fuit obnoxius, quia ille melancholicus erat natura, vnde & Epilepsia dicta est morbus Hercules; quem etiam morbum veteres appellauere sacrum, magnum, comitiale; quia sacram Sapientiæ arcem cerebrum scilicet, imperit; quia totum corpus percussit ac prosternit; quia ægros inuadit in comitiis & frequentia hominum.

Definitur autem Epilepsia, conuulso totius corporis; eaque periodica, id est, rediens ex interuallis, cum læsione mentis & sensuum ab humore melancholico, vel etiam pituitoso, crasso & viscoso, cerebri

ventriculos anteriores obstruente genita, vocaturque vulgò morbus Diui Ioannis.

Sic & Lyfander illustris Lacon vlceribus atrabiliariis & melancholicis interiit, Ajax Græcorum fortissimus post adiudicata Vlyssi Achillis arma, ira correptus, extaticus euasit, furiosus, atque vt loquuntur, maniacus, ex adustione melancholiæ subtilioris cerebrum afficientis. Bellerophon inuictus ille heros ab Homero celebratus, factus etiam est ab affectu melancholico *μυσαυθραπος*, id est, Olor hominum atque, ciuiliu societatum: nempe quia hi homines vt & alij plerique viti excellentissimi, natura sua erant melancholici; sit enim sepius ex doctrinâ medicorum longè certissimâ, vt in eos morbos incidant homines, qui vniuscuiusque naturæ & temperamento sunt congeneres. Sed & Empedocles, Socrates, Plato, præstantissimi Philosophi, itémque poëtæ illustriores fuerunt melancholici. Constat ergo excellentes viros fuisse melancholicos, ex hac diligenti enumeratione & quasi catalogo.

Iam vero vt rationem reddat Aristoteles excellentiæ melancholicorum, vtitur eleganti & apposita similitudine & comparatione vini & humoris melancholici, quorum videlicet eadem videtur esse vis & facultas. vt enim vinum liberalius epotum & frequentius varios inducit affectus, morésque manifestè commutat, prout bibitur largius & crebrius, ita vt potantes modò faciat iracundos, modò humanos, hilares, clementes audaces, atque è taciturnis & frigentibus reddat primò verbosus, loquaces & calidiores, deinde eloquentes & facundos, postea confidentes, tum gradatim aucto calore audaces, contumeliosos, petulantes, insanos, furiosos, stultos, interdum verò reddat lachrymabundos & tristes, interdum amantes, & rei venereæ deditos, interdum anxios, inquietos, timidos, dolentes ac desperabundos, ita vt non pauci post nimium vini potum animo succumbant, sibi que manus afferant violentas; qui quidem omnes vini effectus à calore quidem sunt naturali, sed qui variis modis excitatur, certisque gradibus augetur, ac modò augetur & perficitur, modò minuitur ac detrimentum patitur à vini vario potu: vel etiam à vino naturalis idem calor reprimatur extinguiturque pro varia dispositione potantium, & prout moderatiùs potant, vel immoderatiùs, sicque diuersos admodum motus morésque dissimiles induunt, qui copiosius vinum hauriunt. Ita & variis modis homines afficit, commouetque nigra bilis aut melancholica *χράσις*, quæ vt vario modo temperata est, & insita corpori, vt varios & inæquales gradus fri-

goris vel caloris obtinet; vt à diuersis causis gignitur commoueturque; vt à natura est, vel alimentis, vt altius impressa est & infixata corpori, aut leuius affusa, sic & motus affectusque inæquales ac longè diuersissimos inducit, quorum ratio præsertim dependet ab excessu frigoris, vel caloris, à quibus omne existit temperamentum & complexio. Quanquam hoc discrimen est inter naturam siue naturalem melancholiam, & vinum, quod vinum inducat affectus fugaces, & ad breue tempus; natura autem siue naturale temperamentum melancholicum pertinaces ac diuturnos.

Esse autem vinum & melancholiam eiusdem ferè naturæ, & conditionis probat Aristoteles, quia vt vinum præsertim nigrum vel rubrum flatu mouet, sic & melancholia; vnde melancholici præsertim hypochondriaci flatulenti sunt. Dixi vinum nigrum, quia calidius & corpulentius est albo, licet quorundam opinione album sit veluti mas, nigrum autem siue rubrum, femina. Esse autem vinum flatulentum probat, nò quia calidum sit, oleum enim calidum est, neque tamen flatulentum, sed quia spumofum, spumosa enim flatu continent, ac propterea cum flatulentum sit, & spumofum vinum, maximè vero nigrum, ideo veneris quæ è maris spumâ creditur procreata, vnde dicta fuit *ἀφροδίτη*, cupiditatem affert, ac propterea, eleganter finxere veteres Baccho Venerem fuisse coniunctam. Atque huic vino melancholiam esse simillimam adhuc probat, quod melancholia ad venerem proritet, quia flatulenta est & spumosa; facileque pudenda distendat & flatibus impleat ac spiritu, sine quo res venerea exerceri nò potest. Certum enim est flatulenta, esculenta & potulenta omnia, vt phaseolos, nucleos pini, fabas, castaneas, pisa, venerem excitare; enimuerò melancholici magnâ ex parte ad venerem sunt proclives: sed & flatulentos esse melancholicos ex eo probat Aristoteles quod sint plerique duriori cute & venas habeant tumidas ac turgentes: illa enim durities cutis ac venarum tumor à tensione est & flatu, non à sanguinis copiâ, licet interim & verum sit, non omnes melancholicos durâ esse carne aut nigricanti, qua de re alibi.

His ita explicatis vt problemâ distinctius explicet, variosque motus ac mores melancholicorum recenset, hoc tanquam certum supponit, humorem melancholicum se se statim in naturam corpusque nostrum insinuare, infundere ac intermiscere, nosque adè totos suo liquore ac viribus imbueret: Deinde docet humorem illum siue nigram bilem esse quâdam *χράσις* siue temperationem frigidi & calidi, ita vt modò euadat melancholicus humor calidissimus,

modò frigidissimus, cum scilicet aptus sit ex se vicissim excipere & summum calorem & summum frigus, licet suapte natura ac per se sit magis frigidus vt pote terrestri & crassus. Quod illustrat Aristoteles exemplo aquæ lapidis & ferri, quæ omnia licet natura suâ ac per se sint frigida, si tamen vehementer incalescant, ita vt aqua ebulliat, lapis verò & ferrum incandescent, tunc calidiora sint flammâ & carbonibus.

Statuit itaque Aristoteles humorem melancholicum, si in frigiditate modum excedat, inferre apoplexiam & stupores; item reddere ignauos homines, timidos ac meticulosos; quia scilicet hi affectus à frigiditate procreantur; est autem apoplexia repentina priuatio motus, sensus, & rationis, cum difficultate respirandi, ab obstructione ventriculorum cerebri quam parit vt plurimum melancholicus vel pituitosus humor. stupor verò græcis *πάση*, est sensus motusque diminutus neruolarum partium proprius, à frigidis humoribus causisque progenitus. Si autem vehementius incalescat melancholicus humor, eum inducere lætitiâ, alacritatem, cantandi cupiditatem, extases etiam ceu manias, ebullitiones, itémque eruptiones vlcærum.

Hoc loco appositissimè annotat Aristoteles eam melancholiam quæ aduentitia est, & ab alimentis crassioris succi, à victu quotidiano procreatur, quò referri possunt studia vehementiora, curæ, mœrores, sollicitudines scrupulosæ conscientiæ, exercitia immoderata, vix mores animosque immutare, potius morbos creare melancholicos, puta febres quartanas, affectus hypochondriacos, obstructiones lienis, vlcera tiliarum, hæmorrhoides, varices, quàm fixa quædam & diuturna temperamenta inducere, vnde insigniter, diu, multumque animi afficiantur.

Hinc apparet non esse hic sermonem de melancholia ascititiâ & ab externis causis progenitâ, sed de insita & naturali, quam ait Aristoteles producere affectus, morésque omnimodos, & pro diuersa sua crasi & inæquali temperatione varios ac differentes; quibuscumque enim, inquit, plurima inest eaque frigida melancholia, ij stolidi sunt, & ignaui, & eiusmodi melancholia vulgò, dicitur asinina: quibuscumque autem plurima & calidior, ij sunt ingeniosi, solertes, expediti, amatores, vehementes, ad iracundiam & cupiditates propensi; quidam loquaces & nugatores; multi etiam, quorum scilicet cerebrum sedem mentis impetit exferuescens illa calidiórque melancholia, morbis corripuntur mentem commouentibus ac perturbantibus, vt sunt extases, mania siue furores & excessus mentis, di-

uini illi raptus motusque; *ἐθουσιαστικοί*, vnde inquit, extiterunt Sybillæ diuinæ illæ ac prophetæ mulieres bacchæ, *Ἐοὶ ἐνθεοὶ γίνονται πάντες*, & omnes qui à Deo inspirati sunt cum scilicet tales euadunt non morbo, sed naturali temperamento, vt pote melancholico. Enimuerò Maracus Syracusanus longè excellentior erat poëta cum in extasim quodammodo rapiebatur & diuinum illum furorem ac impetum, ab efferuescente scilicet melancholia accensum patiebatur. Tunc enim commota mens & calente illo spiritu melancholico velut exagitata fundebat versus & multos, & pulcherrimos, & facillimè. De impetu enim ac furore poëtarum hi versus circumferuntur:

*Est Deus in nobis, agitante calescimus illo,
Impetus hic sacra semina mentis habet.*

Item:

Impetus ille sacer Vatnum qui pectora nutrit,

Qui prius in nobis esse solebat, abest.

Inquit Ouidius.

Sed vt ingenue dicam, temeraria videtur atque etiam erronea Aristotelis sententia vixque excusabilis in vera Christianâque fide vt qui prophetiæ dona, & oracula Sybillarum diuinâsque inspirationes hoc loco refert ad vim naturalis temperamenti, eiusque melancholici calidioris, qui error esse videtur in fide Catholica, si absolutè & simpliciter intelligatur, qua de re viderint Theologi. Quanquam mirari meritò licet eò audaciæ deuenisse ethnicum Philosophum qui diuina retulerit in naturales causas, & naturam humorumque condiciones præstare docuerit ea quæ vel reuera miracula sunt, vel esse existimantur.

Iam verò, inquit Aristoteles, quibuscumque moderatior in est melancholiz calor, atque ad certam mediocritatem reductus, ita vt non tam acres fumos emittat, tantòque in animo cieat motus, ijs sanè natura quidem melancholicis prudentia inest maxima, & solertia ingenij, qui licet non sint mente adedè emota, & eleuata vt illi *ἐθουσιαστικοί*, sunt tamen multis in rebus præstantiores; vt alij quidem in scientiis studiisque litterarum, alij in artibus etiam mechanicis, alij in politica siue reipub. administratione sint excellentes.

Postea docet Aristoteles habitum illum siue temperamentum melancholicum, vt diuersum est, ita & diuerso modo homines afficere circa res periculosas & terribiles ita vt melancholicorum nonnulli audito tristi nuntio, & proposito periculo timeant maximè, si videlicet frigidior sit eorum melancholia quæ timorem per se inducit; metus autem refrigerat: alij sint intrepidi & audaces, si nimirum ille ipse melancholicus humor calidior fuerit, & vehemen-

rius effervescat. Neque verò mirum id esse debere quòd melancholicus humor videlicet pro diuersa sui complexionemodò frigidiore, modò calidiorè, tot tamque diuersos effectus proferat, cum vnusquisque nostrum experiatur quotidie se modò tristem esse & anxium, modò lætum & hilarem, licet causam nesciat, cuius tamen mutationis ratio est inæqualitas, & varia commotio atque agitatio melancholiæ, qua vnusquisque nostrum saltem leuiter est affectus, calore nimirum vel frigore vicissim dominantibus. At in quibuscumque melancholia viget & abundat maximè, altiusque impressa est, siue excedat calore, siue frigiditate; in iis etiam mores insigniter permutantur, secundum diuersitatem complexionis, nempe quia humor melancholicus varius est, inæqualis ac multiformis: atque vt plurimas diuersissimasque morborum species procreat, sic & magnam morum ingeniorumque inducit varietatem, ita vt melancholicorum species penè sint infinitæ ac inexplicabiles vt Galenus, Auicenna, Medicique alij annotarunt. licet enim in complexionemelancholica conueniant omnes melancholici, differunt tamen in specie, gradu, & modo complexionis ac temperamenti; ita vt alij vnò excessu peccent, alij contrario, alij medio quodam statu contineantur, sint tamen omnes melancholici, vt homines qui licet conueniant in eo quod faciem habeant, differunt tamen quod aliorum sit pulchra & venusta facies; aliorum deformis, aliorum neutra. In quibuscumque ergo modum aliquem, harmoniã certamque proportionem ac moderationem obtinuit melancholica complexio, eaque naturalis, ita vt neque nimium sit frigida, neque nimium calida, in iis excellentia est & præstantia singularis; in quibus autem minime temperata est, sed insigniter excedens, in iis vehementissimi affectus excitantur, vitiosi, extraordinarij, pessimi ac terribiles, vt desperationes, suspensio, mortes voluntariæ, audaciæ, (vt Archelao Regi Macedonum contigit, qui cum esset Alcetæ Regis seruus, & Perdiciæ fratris Alcetæ filius illegitimus, ipsum Allectam incredibili audacia spoliavit regno, imo, & fratrem suum legitimum Perdiciæ, & Cleopatæ filium quos crudeliter interfecit,) extases, furores, insaniam, confidentiam, epilepsiam & conuulsiones terrificas, quales impostori Mahumeti pseudoprophetæ pessimo melancholico contigerunt. Quanquam & prudenter admonet Aristoteles melancholicos, etiam temperatos posse in vitia morbosque prædictos prolabi & incidere, nisi sibi caueant, rectamque ex medicinæ præceptis viuendi rationem dietamque salubriorem obseruent.

Porro causam voluntariæ mortis, quam sibi inferunt melancholici, refert hoc loco Aristoteles ad temperamenti melancholici insignem refrigerationem, quæ eadem causa est in vinolentis, ebriisue, præsertim melancholicis frigidioribus, quorum quidam se interficiunt: eo quòd animo & calore natiuo deficient propter nimiam copiam vini cuius, scilicet calor vehemens extinguit naturalem; in senibus quidem, sed sæpius & citius in iunioribus, quia vis maior est in iunioribus, vt qui propter ætatis vigorem fortius resistent; refrigeratio enim senibus non adeo violenta est, cum naturaliter etiam sint frigidi. Quæ autem connaturalia sunt minùs tardiusque lædunt, vnde aiunt medici, morbos congeneres minùs esse periculosos.

Vt autem ex nimio vino sic ex venere nimia tristes fiunt, & imbecilles plerique ob euacuationem benignioris excrementi, nimirum seminis spiritibus turgentis, vnde vis, & robur inest toti corpori, licet interdum è re venerea surgant nonnulli alacriores, ij scilicet qui vnâ cū seminis profusione liberantur serosis quibusdam excrementis, & acris, itémque molesto calore, & flatibus vnde quies obtingit & solatium.

Sed & melancholia calidior lætitiã infert vt frigidior mœrorem, quia lætitiã à calido est, vnde & à vino certa mensura hausto facilè inducitur, vt & spes rerum bonarum quæ etiam propria est iuuentutis, quia iuuentus calidior est ætas; vt diffidentia, & desperatio propria est senectutis, quia senectus ætas est frigidior, cum ipsa senectus nihil aliud sit, quàm caloris natiui imminutio ac refrigeratio; atque hæc est causa propter quam pueri, adolescentes, ac iuuenes senibus ipsis sunt lætiores & hilariores, & in spem rerum bonarum propensissimi; nempe quia sunt illi his calidiores. Ita vt non humores duntaxat & corporis humani temperamenta, sed & mores affectusque animi scilicet passiones à caloris & frigoris modo dependeant.

Quibus omnibus ita declaratis tandem summam rationum breui epilogo colligens Aristoteles, sic concludit. Eos melancholicos qui naturali temperamento sunt tales, vt eorum complexio, licet alioquin ex se varia sit admodum & inæqualis ob caloris, & frigoris excessum quem subinde excipere potest, indèque variis modis ingenia nostra morésque informare vt vinum; à calido enim, & frigido ingenia morésque formantur ac dependent, ἡθοποιοὶν γὰρ τὸ θερμὸν ἔστι ψυχρὸν μάλιστα τῶν ἐν ἡμῶν ἔστιν. redacta sit ad optimam humoris melancholici mediocritatem, eamque contemperatorem, vt cum opus fuerit calidior fiat, itémque frigidior, non tamen in excessu summo

utriuslibet qualitatis, sed in certâ quadâm moderatione, & harmoniâ; eos inquam homines esse in omnibus excellentissimos planéque singulares. Atque hæc habet Aristoteles primo hoc probl. sect. 30.

Scholion siue animaduersione ad textum expositi Problematis eiusque conclusionem.

ARTIC. V.

Sapienter quidem, eruditè ac præclare pro suo more Aristoteles de ingenio & complexione melancholicorum, problem. illo primo sect. 30. differuit, quos docuit pro ipsius humoris melancholici inæqualitate ac differentiis esse etiam anomalos siue varios, & inæquales, vita scilicet, moribus, ingenio, affectibusque valdè dissimiles, nimirum alios ignavos esse, pusillanimes, stupidos, tardos, stolidos, anxios, meticulosos, tristes, desperabundos, atque interdum sibi mortem consciscentes; esse etiam obnoxios morbis quibusdam vt apoplexiæ, epilepsiæ, stuporibus, mæstitiæ, animi angoribus, curis, sollicitudinibus, (qui primus est ordo melancholicorum;) Alios contra securos, hilares, musicæ & cantilenis deditos, acres, ingeniosos, amatores, ad iram & cupiditates propensos, loquaces, audaces, nugatores, furiosos vaticinatores Prophetas, diuinos à Deo inspiratos (qui secundus est ordo;) Alios denique prudentes atque in omnibus singulares & præstantissimos, qui tertius est ordo melancholicorum; Quorum quidem affectuum diuersissimorum causa sit diuersa & inæqualis melancholici humoris complexio secundum caloris, vel frigoris excessum vel utriusque certam cōmoderationem; Ita vt primus ordo melancholicorum peccet excessu frigoris, secundus excessu caloris, tertius autem excellentior habeatur ex eo quod in tanta illa inæqualitate, varietate, & excessu caloris, vel frigoris melancholicum humorem efficiētis, ipse humor sit certa ratione ac proportionem contemperatus, ita vt talium melancholicorum temperamentum modò calidius sit, & vbi oportet, modò frigidius, aut econtra, & vbi semper oportet; idque propter excessum aliquem qualitatis quæ tamen insigniter non excedat bonæ naturæ limites, sitque omnino morbi expers. Tunc enim exquisitum est ac præstantissimum melancholiæ temperamentum atque ad res magnas accommodatissimum. Enimvero optimum esse maximèque accommodatum ad certa studia, fines & officia melancholicum temperamentum, dum est naturæ conueniens paulò frigidius hinc patet.

Quòd tale temperamentum sit aptum contemplationi, prudentiæ, sapientiæ, philosophiæ, artibus; hinc enim qui frigidiores sunt temperatura sapientiores sunt, vt senes, & ij homines qui calidiores regiones incolunt, ij enim natiuum internumque calorem habent languidiorem, vt qui dissipetut externo calore regionis calidioris, vt docet ipse Aristoteles sect. 14. Problem. Ideoque motus humorum, & animi remissiores habent. Præterea, optimum etiam esse temperamentum melancholicum, cum est paulò calidius, neque tamen nimium excedens; hinc patet, quòd tale temperamentum aptum sit ad fortitudinem, & strenuitatem bellicam; & consiliorum executionem, resque animosè gerendas, atque ad finem felicemque exitum constanter, & generosè perducendas.

Quòd si fiat vt in vno, & eodem; vt reuera contingere potest; sit modò calidior melancholia, modò frigidior; profecto hoc temperamentum longè optimum erit ac præstantissimum, tam ad cōtemplandum, siue ad philosophiam, & scientias; quam ad agendum siue ad res morale, & bellicas, vicissim scilicet & diuersis temporibus eos ergo qui eam nacti sunt melancholicam complexionem ita contemperatam; esse præstantissimos conclusit Aristoteles.

At sane si iudicium nouum interponere liceat, tametsi sententiam Aristotelis tanquam verissimam ambabus vlnis amplectimur; censemus tamen adhibendam esse micam salis, ad temperamenti scilicet melancholici maiorem perfectionem & excellentiam.

Putamus enim melancholicam illam *χρῆσις* quæ ex calidi, & frigidi contemperazione confurgit, & in qua excellentiæ gloria & primatus consistit, perfectiorem fore, si sanguinis purioris tantilla dulcedine, & biliosi humoris pauco veluti sale condatur. Cum enim melancholicus humor, sit per se austerus & acerbior, nimiumque acer, pungens, vellicans, mordax, ideoque sapius ferox, is profecto si suaui illo ac exiguo saltem liquore sanguinis clarioris dulcescat, fiet temperatior, dilutior & salubrior: cui si præterea subtilioris cholæræ, quasi salis portio aliqua admisceatur, tum demum melancholiæ terrenæ crassities ac limus, grauitasque attenuabitur, emendabitur, fietque ad comprehendendi celeritatem expeditior, & agendi promptitudinem, hæc tamen temperatio debet esse eiusmodi, vt humor superabundet melancholicus. hoc igitur temperamento qui præditi sunt, ij fiunt præstantissimi, siue in scientiis, siue in republica, siue in artibus; cum excellant ingenii subtilitate, mentis perspicacia, iudicij maturitate, consilio,

prudencia, memoria, animi dexteritate, sintque moribus non adeò effertis, ita ut in quacunque studia animum intenderint tales melancholici, ibi valeant plurimum, sintque cæteris præstantiores. Ut ergo contrarias rationes pro aliis temperamentis allatas dissoluam.

Sanguineum temperamentum ad vitam confert, & actiones naturales, ut probavit argumentum, articulo tertio supra allatum, sed nimio suo humore obruit animum, ad vitia disponit & inclinât, nocetque acumini sensuum: ut & plegmaticum omnium temperamentorum ineptissimum. Nempe quia obtundit aqueâ suâ frigiditate calorem nativum, & offuscât mentis aciem plurimis superfluitatibus ac excrementis, unde laxitas & mollities aquea cutis, quæ stoliditatis est comes, indexque hebetudinis. Mollitiem enim aëream in cute benè temperatâ solam, non aqueam, quæ est à pituitoso temperamento, laudat Aristoteles loco supra in articulo tertio citato; & certè vberiore illam humiditatem ingenio nocere, & sensibus ut docet experientia quotidiana, sic & confirmat vetus Heracliti verbum, splendor siccus animus sapientissimus.

Cholericum autem temperamentum celeres quidem motus inducit, & imaginationem præparat, redditque expeditiorem ad promptè intelligendum & generosè acriterque agendum, at ei temperamento deest iudicij maturitas, firmitas & constantia ad retinendum, quâ excellunt melancholici. Etenim animi acies, & intelligentia à bilioso humore est, inquit Galenus, constantia autem & firmitas à melancholia. Præstat ergo absolutè melancholicum temperamentum in quo scilicet proportionè aliorum humorum melancholia abundat, non densa quidem nimis, limosa, fæculenta, neque etiam nimium frigida aut in summo excessu sicca, quasi arida terra, sed quæ calore blando foueatur, claro dulcique sanguine diluatur & dulcescat, tantillaque affusa bile siue cholera attenuetur, ac purpureo colore nitescat, ut scilicet inde puriores sint simulque constantiores spiritus ad sensuum, phantasie, memoriæ, rationis ac intelligentiæ officia necessarij; ita tamen ut ipsa semper abundet naturalis melancholia, teneatque humorum aliorum comparatione, principatum; Hoc igitur temperamento ac complexionè quicumque præditi erunt quoad functiones, & officia mentis erunt præ cæteris præstantiores & acuratiores.

Quodnam sit propriè temperamentum ad Philosophandum magis idoneum?

ARTIC. VI.

Melancholicum profectò, ut apparet Mexijs quæ hætenus discussa fuere, & comprobata: Sed cum sint varij gradus & ordines melancholici temperamenti, propter humoris inæqualitatem, variâsque caloris, & frigoris moderaciones, illud demùm melancholicum temperamentum ad philosophiam, scientiâsque, & artes magis est idoneum, quod neque calore nimio, neque frigore excedat, sed sit certo vtriusque qualitatis moderamine, quasi harmonia quadam, & suavi concentu temperatum, atque definitum; ita tamen ut calorem vno, aut altero gradu vincat frigus: multis autem gradibus superet siccitas humiditatem ob rationes supra allatas. Enimverò senes ideò sunt iuuenibus prudentiores, pollentque iudicio, non ob longam duntaxat rerum experientiam, quæ est τῆς φρονήσεως ὄμμα, prudentiæ oculus ex l. 6. Ethicor. sed quia sunt frigidiores, siue minus calidi, & sicciores. Sed senes dico non scilicernia non decrepitos, aut extremè frigidos, qui cum pituita multa abundant, & phlegmaticis superfluitatibus, sæpe delirant atque hallucinantur, sed virides, vegetos ac crudos, in primo scilicet senectutis gradu constitutos, quos vocat Aristoteles ἀμοιβόνας.

Atque hinc intelligitur M. Tullium non satis prudenter, nec ad veram Philosophiam mentemque Aristotelis accommodatè hæc verba pronuntiasse prima Tuscul. Aristoteles, inquit, omnes ingeniosos melancholicos esse ait, ut ego me tardiorem esse non molestè feram. Videtur enim Cicero his verbis melancholicorum temperamentum improbare. Sed reuera tantus Orator tanti Philosophi mentem non fuit affecutus, nec probè satis intellexit aut diiudicavit, ut pote rerum Physicarum, & Medicarum non adeo peritus, discrimina melancholicorum, illud præsertim temperamentum quod in melancholiæ dominatu certam harmoniam iustamque commoderationem qualitatum nanciscitur, quod dicimus sapientiæ, virtutum, scientiarum, artium, & meliorum ingeniorum esse temperamentum, adeoque ad philosophandum magis idoneum. Quæ est doctrina Aristotelis in exposito problemate. Et certè id ipsum ratio manifestè conuincit, sic enim licet ratiocinari.

Illud temperamentum, de naturali loquor,

quor, ad philosophiam, scientias, animiq; opera omnia magis est idoneum, quod animum mentemque præparat, meliusque disponit ad intelligendum subtilius, iudicandum maturius, agendum prudentius, efficiendum rectius, certius & expeditius, siue ad perfectiorem veritatis comprehensionem, virtutis cultum faciliorem, & artificiosorum operum dexteritatem maiorem; hæc enim sunt officia finisque philosophiæ tam theoreticæ quàm practicæ, & poëticæ siue artium quarumlibet: Atqui melancholicum temperamentum est eiusmodi, illud nempe quod à nobis est designatum, & certa illa qualitatum mediocritate definitum, in quo videlicet non est excessus, ab eo si quidem temperamento spiritus gignuntur subtiliores, & constantiores, redditurque humorum & sanguinis massa temperatior, & quietior; unde ingenij subtilitas, phantasiæ viuacitas, mentis solertia, intelligendi promptitudo, ratiocinandi dexteritas, iudicij maturitas, laboris patientia, animi pathemata moderatio, & maior propensio ad officia prudentiæ, tam politicæ quàm priuatæ; ad virtutes honestamque vitam, & consilia meliora: imò & ad fortiter strenuèque agendum, operaque artis maiore cum industria & sagacitate perficienda, ut ipsa etiam probat experientia; totque & tam illustres viri testantur: qui quia melancholici sunt, vel fuerunt, in illis omnibus prædictis dotibus excelluerunt: Ergo temperamentum melancholicum sic temperatum & naturale, ad philosophiam scientias artesque omnes magis est idoneum.

Sed cum longè latèque pateat temperamenti illius melancholici amplitudo, & potestas, plurimasque obtineat differentias & gradus diuersissimos; sint verò præterea philosophiæ partes, scientiæ artesque admodum differentes, quæ idcirco ingeniorum ac temperamentorum varietatem aliquam ad sui perfectionem requirant, non est adeo facile statuere, ad quam præcipuè partem philosophiæ, & ad quam specialem scientiam, artemve profitendam, hoc vel illud temperamentum melancholicum sit magis idoneum. Quod tamen interim magni est ad hominum vitam momenti, & ad perfectionem scientiarum, & artium facile comparadam, ut videlicet vnusquisque ei scientiæ artiue obtinendæ diligentius attendentiùsque incumbat, quæ ei ex ingenio, naturali que temperamento ac propria indole magis respondeat, siue conformior; atque ut nihil inuitâ faciat discatue Minerva, sic enim fiet ut facile euadat in scientia artéue, suo genio ingenioque & naturæ consentanea præstantissimus ac felicissimus. Hæc siquidem ratio est propter quam

Tom. I.

eligi debeant auditores, eorumque exploranda ingenia scrutandaque, propterea enim Plato ut ex eius Tymæo constat, dum arcana quædam philosophica documenta; & à vulgi sensu, communique opinione remotiora aggredere tur exponere, discipulos solebat eligere magis idoneos, qui scilicet meliori indole nati essent, ac ingenio subtiliore præditi, ut enim,

Non omnis fert omnia Tellus,

Nec terræ ferre omnes omnia possunt.

Fluminibus salices, crassisque paludibus al-
ni

Nascuntur steriles, saxosis montibus orni,

Littora myrtetis latissima, denique aper-
tos

Bacchus amat colles, Aquilonem & frigora
taxi,

Diuisa arboribus patriæ, sola India nigrum

Fert ebum, solis est thurea virga Sabæis.

Lib. 2. Georgic.

Neque ex quolibet fit quidlibet, sic neque cuius arti aut scientiæ ingenia quæuis paria sunt, aut satis accommodata. Neque è quouis ligno fit Mercurius, nimirum quia certissimum id habetur in tanta animorum ingeniorumque varietate ac differentiis, quæ in variis hominibus obseruantur, vnam duntaxat ingenij differentiam, in vno homine præcipuam eminere, ac peculiariter excellere, raro enim fit ut duas vel tres ingeniorum differentias, ut pote oppositas aut dissentaneas, in vno homine natura coniungat, sicuti etiam fieri non potest, ut vnus idemque homo & respub. eiusdem partis, oppositis ac differentibus constet temperamentis.

Quod si vnica sit, eaque singulariter & eximia in vno homine ingenij differentia; siue naturalis quædam optimaque propensio ad aliquod mētis opus rectè perficiendū, erit profectò etiam inter artes, scientiasque tam varias tamque multiplicees vna aliqua præcipua; cui eiusmodi ingenij gradus & differentia, siue dispositio naturalis erit magis accommodata, nō autem plures. Adeo ut si vnā illam artem capessat ita probè dispositum ingenium, futurum sit ut in eâ facile excellat, alioquin si alias artes studiaque consecretur, genio ingenioque suo minus accommodata, oleum & operam perdet, aut saltem minus proficiet, nec excellet vnquam, ut idcirco vix probare possim quod vulgò iactatur in scholis Philosophorum, si adolescens vel iuuenis non est auditor idoneus philosophiæ moralis (quod notauit Aristoteles 1. Eth.) faciendus est, vix enim ac ne vix quidem fortassis, etiam adhibita arte idoneus auditor Ethices poterit esse, aut fieri iuuenis, quia caret vsu & experientia rerum humanarū & moralium; ac præterea suis cupiditatibus facile obtem-

D

perat quæ sunt impedimenta non leuia philosophiæ moralis cum fructu saltem obtinendæ, & ex prudentiæ rectæque rationis moderamine ac virtutis cultu in salutarem praxim reducendæ. Et certè inter doctos celebresque viros, alij excellunt magis in Theoreticis scientiis, alij in practicis. Atque id non rarò contingit, vt qui rerum præclarissimâ quadam cognitione ac Theoriâ excellunt, facilè torpescant & hallucinentur, peccentq; in ipsâ actione & praxi, Neque adeo apti sint & à natura dispositi ad agendum, aut saltem minùs ad ipsam praxim idonei; Et contra, qui in practicis excellunt, resque gerunt optimè, minùs in Theoriâ excellent, nec adeo docti, scientes & intelligentes euadant.

Ac propterea perspicere oportet imprimis ac diligenter expendere an sint ingenia nostra ad contemplandum, an ad agendum paratiora, hæc enim duo, agere scilicet & contemplari non parum à se inuicem distant. Imò adeo sibi mutuò repugnare videntur, vt constituent diuersa vitæ genera, theoreticum scilicet & practicum, siue vitam, vt aiunt, contemplatiuam & actiuâ, quod manifestè indicat requirere hæc duo vitæ genera ingeniorum ac temperamentorum varias præparaciones ac dispositiones. Nempe quia vita contemplatiua & vitæ actiua in suos fines differentibus modis feruntur ac tendunt, diuersisque propterea vtuntur mediis, instrumentis ac inclinationibus; itavt illa quidem quiete gaudeat, otio & studiis, addeoque & libris profundaque cogitatione, & solâ contenta sit cognitione, quaratque non opus, externum saltem ac populare, sed solitudinem ac secessum; iuxta illud Poëtæ, Scriptorum chorus omnis amat nemus & fugit vrbes. Et illud aliud, Carmina secessum scribentis & otia quarunt: hæc autem actiuosa scilicet vita in motu & negotio externaque actione cum aliis hominibus versetur, societates amet, totaque curis ac negotiis siue publicis, siue privatis addicta sit & occupata; scilicet diuersitatis huius causa est. quod perfectius viuat & operetur iucundius in actiuosa vitâ is qui ad eam naturali ingenio procliuus est; & contra in contemplatiua, is qui amat feritque naturali impetu ad sapientiam philosophiamque theoreticam. Atque idcirco sapienter anteponebat Aristoteles i. Met. expertos scientibus & doctis, quoad ea videlicet quæ ad praxim & actiones pertinent, vbi ait expertos quos vocat ἐμπειρους magis & sapius id quod intendunt consequi, quam sciētes tantum, qui scilicet rationem duntaxat teneant & causas norint, ἀνεὺ τῆς ἐμπειρίας sine experientia vlla. Et causa est, inquit, quod experientia sit rerum singularium, ars autem siue scientia sit rerum vni-

uersalium cognitio, αἱ δὲ πράξεις, καὶ αἱ γενέσεις πάντοι περὶ τὸ κατ' ἕκαστον εἰσι. Actiones autē & generationes omnes sunt circa singulare, non enim is qui medicinam facit, inquit ille ipse, curat sanatve hominem inuisum, sed Calliam, aut Socratē, siue hunc & illum particularem hominem. Itaque si quis doctus quidem fuerit rationem vt teneat, careat autem experientia, itavt vniuersale quidem documentum scientiâque inuisum habeat, ignoret autem particulare sub illo vniuersali contentum πολλάκις διαμαρτῆσεται τῆς θεωρίας, sæpe aberrabit à sanādo. θεράπευτον γὰρ τὸ κατ' ἕκαστον μᾶλλον, quia id sanabile est quid particulare magis. Quæ tamen Aristotelis sententia intelligi debet de sciente tantum, & de experto tantum. In curandis enim morbis experti licet mirùs docti, sanant non rarò feliciter, licet non tutò semper, quia experientia, teste Hippocrate 7 aph. sect. 1. fallax est, nisi videlicet sciētia fulciatur; quam qui sciunt tantum & omni carent experientia; alioqui exactè & perfectè medicinam faciunt ij, qui scientiam simul cum experientia coniunctam habent, cum teste Galeno scientia & experientia duo sint medicinæ crura & adminicula, quoniam si deficiat alterutrum, claudicat Medicina, terramque multis implet erroribus & cadaueribus.

Ex his colligitur patetque satis ad varias artes & scientias, imò & ad theoriam & praxim, ad rempub. & bellum ingenia diuersissima requiri, adeoque & temperamenta varia, naturalesque inclinationes prorsus differentes: vt nimirum cum dignitate, facilitate & excellentiâ maiori artes & scientiæ possideantur & exerceantur. Sic enim verissimum illud est quod vulgò iactatur. Non omnia possumus omnes, supple excellenter & facilè, nam alioqui certum est, vel mediocre ingenium in quamcumque artē scientiâve inclinet incumbatque gnauiter & generosè, tandem improbo assiduoque labore posse aliquos excellentiæ gradus obtinere, sed non (saltem respectu quarumlibet artium indiscriminatim) cū tanta facilitate, felicitate & eminentia, de qua hic sermo est, & ad quam idcirco obtinendâ requiratur certum aliquod cōueniensque naturæ temperamentum, & inclinatio.

Sic enim propterea docuit Aristoteles c. 7. lib. 7. Polit. & problem. 1. 8. 15. 16. sect. 14. diuersos esse mores, diuersa ingenia, studia, formas etiam, artes virtutes & vitia Europæorum, Asiaticorum; Græcorum; siue Septemtrionalium hominum, Meridionalium & mediorum, siue eorum qui medias regiones inter Septemtrionalē & Meridionalē incolunt, quod scilicet ij omnes cōstent temperamentis differentibus, itavt in aliis abundet nativus calor, in aliis deficiat,

fitque languidior, in aliis temperatus sit, & ad certam redactus mediocritatem.

Europeos enim, & qui frigidas regiones incolunt, ut Septentrionales, esse animosos id est fortes, iracundos, generosos, audaces, bellicosos, sed imprudentes, temerarios, neque ita pollere iudicio, intelligentiâ, ingenio, neque etiam florere scientiis & artibus, nempe quia calidior sunt temperamento & sanguine, humoribusque feruidis abundant, ac spiritibus nimium exagitatis ob antiperistasin siue obsessionem frigoris regionum Septentrionalium, cuius scilicet vehementia & excessu intus regreditur recurritque natiuus calor, & se se colligit in viscera partesque internas, fitque sic feruidior, fortior & vehementior. Hinc enim caueæ & loca subterranea ac profundiora hyeme calent magis, imò & ventres nostri hyeme sunt calidiores ut docuit Hippocrates. in aphorismis ideoque sunt coctiones meliores ac perfectiores, adeo ut tunc liceat multum comedere, non multum bibere, ut æstate contrâ, ob causam contrariam,

Sed & ratio altera ob quam non sint adeo ingeniosi & prudentes, neque etiam excellent scientiis Septentrionales, ea est, quod in frigidis ac Septentrionalibus regionibus aer, & cælum non raro crassius sit, & nubibus plerumque infestum, unde cibus potusque crassior, nec satis purus aut tenuis, itemque spiritus ex aere, aut sanguine geniti, turbidiores sint, nebulosiores, nec satis lucentes, clari & subtiles, quales ad philosophiam, prudentiam, ingenium & literas requiruntur; Iam verò Asiaticos, & Africanos vel Meridionales ingenio, prudentiâ, artibus, scientiis, & sapientiâ plurimum valere, sed esse ignavos, imbecilles, timidos, molles, effœminatos, lasciuos, ideoque perpetuò aliis populis fortioribus, bellicosisque Imperatoribus ac Regibus parere, seruire, esseque subditos, ut pote Europæis & Septentrionalibus, qui bello armisque natura sunt aptiores. Hinc enim est quod Septentrionales natura suâ bellicosi gladium terræ infixum adorent, ut annotavit Solinus; & contra Africani ac Meridionales natura sua molles, effœminati ac libidinosi Venerem venerentur, cui dediti sunt ac procliuus, unde & polygamia utuntur pluresque habent uxores, quas magna diligentia magnaque zelotypia custodiunt, in quam curam propterea adhibent Eunuchos ut de Turcarum Principe constat, qui greges puellarum venustissimarum sibi iubet ab Eunuchis asservari. Cum interim Septentrionales ut pote multò castiores obseruent monogamiam; ita ut vni viro uxor vna sufficiat, inquit Cornel. Tacitus, Imò & pluribus, ut Iulius Cæsar in suis Comment. annotavit, adeo ut rara sit, imò

Tom. I.

nulla inter Septentrionales zelotypia, apud quos, ut annotavit Munsterus, viri & fœminæ simul & cum alienigenis exterisque viris nudi ingradientur in balnea. Rationem igitur ob quam Meridionales ut Asiatici prudentes sint & ingeniosi, sed ignaui, & timidi, eam esse constat, quod degant in cælo calidior, unde fit ut sint exsucco & paruo corpore ac imbecillior, ut Septentrionales magno, & robustior, nempe quia Meridionales cibo utuntur parcior, ac tenuior, suntque magis sobrii, quam Septentrionales natura voraces, & famelici, aeremque ijdem Meridionales inspirant subtiliorem ac defecatiorem, vno verbo quod sint illi temperamento frigidior, id est, minus calido, cum eorum natiuus calor calore extraneo, qui in regionibus illis meridionalibus viget feruetque, facile dissipatur, & à visceribus partibusque intimis euocatus dispergatur, sicque elanguescat & imminuatur.

Medios denique homines ut sunt Græci, qui inter Europæos & Asiaticos medijs sunt, regionisque non nimis calidas, nec nimis frigidas incolunt, sed temperatas, virtutis amborum extremorum esse participes, ideoque simul fortes & animosose esse, itemque ingeniosos ac prudentes, scientiisque idoneos, unde factum est ut Græci, inquit Aristoteles 7. Polit. semper liberi sint, & rempub. suam optimè administrant, ita ut si vnam Politiam seruarent, facile possent gentibus omnibus dominari.

Sed ut dicam obiter, quod Græcis suis attribuit Aristoteles, id non probat, nec credit M. Tullius, qui Romanis solis, sapientiæ, scientiarum, eloquentiæ, ingenij & armorum, virtutisque ac generositatis, bellicæ gloriæ famamque censet attribuendam, ut sic suæ quisque genti fauere plus fortassis æquo videatur, & quid de se non dicent Galli, Germani, Hispani, & cæteri?

Quicquid tamen sit de Græcorum aut Romanorum gloria, id semper verum manet, ingeniorum morumque varietatem à conditione, & modo naturalium temperamentorum, calorisque potissimum, aut frigoris excessu, vel mediocritate maximè dependere. His igitur ita constitutis, cum satis superque fuerit demonstratum à qualitatibus primarum contemperatione & dispositionibus temperamentisque naturalibus, hominum ingenia morisque dependere; ut & hos & illos populos gentisque, ad hæc vel illa ingenia, scientias artesque esse procliuiores, ita ut alij excellent in quibusdam, deficient in aliis, & contra, sicque varient pro varietate temperamentorum, ita & singulos homines particulatim sumptos, & in indiuiduo, ut loquuntur

D ij

Logici, prout his vel illis atque in tali gradu definitis constant temperamentis ad hæc vel illa studia artésue magis esse idoneos; statuere nunc oportet de particularibus singulorum temperamentis, & solerter distinguere ac diiudicare quænam sint temperamenta illa particularia, quæ ad has vel illas philosophiæ partes & scientias, artésue magis sint idonea præsertim cum ut ex ante dictis constat, singulis temperamentis singulæ respondeant, artes, scientiæ, vitæque conditiones, non secus atque singulis sensibus respondent singula obiecta sensibilia, ipsorum videlicet sensuum organis potentiæ ac temperiæ consentanea, ut visui visibilia, lumen scilicet & color; auditui voces & soni, siue audibilia omnia; olfactui odores, gustui sapor, tactui qualitates tactiles, tam primæ, ut calor, frigus, quàm secundæ, ut durities, mollities asperitas, polities, & cæteræ. Sed quia temperamentorum eiusmodi alia sunt magis generalia, alia specialia; aut minùs generalia, de generalibus primò dicendum.

*Decreta generalia de Temperamento
excellentiæ.*

ARTIC. VII.

Absolutè loquendo, ad excellentiam quamlibet temperamentum melancholicum magis est idoneum quàm aliud quodlibet; sed temperamentum dico melancholicum illud quod suis notis & conditionibus fuit à nobis supra definitum, atque etiam ad mentem Aristotelis. Huius decreti confirmatio pendet ex superioribus, nec pluribus eget argumentis.

Secundum Decretum. Cum philosophia generatim sit duplex, theoretica scilicet & practica, ad utramque in gradu perfectionis obtinendam, diuersa requiruntur temperamenta melancholica, gradibus videlicet quibusdam inter se distincta. Nempe quia diuersi sunt modi, diuersa media, diuersa instrumenta, diuersique fines utriusque philosophiæ, ergo ad utramque vel utramlibet requiruntur diuersi saltem ordines, & gradus temperamenti melancholici. Nempe quia ad vnâ artem, vnumue usum & finem excellenter comparandum, etiam vnicum à natura tributum est temperamentum præcipuum, ingenijque eximia quædam differentia, ut constat ex antedictis. Natura siquidem ad singulos vsus, officia & fines, etiam singula facit instrumenta, οὐθὲν ποιεῖ περιττῶς οἷον χαλκὸν τῷ ποιῆσαι δελφικὴν μάχαιραν, & nihil facit parcè ac tenuiter, ut fabri ferrarij delphicum gladium cuius erat vsus ad mactan-

das victimas, & ad plectendos nocentes ac reos.

Decretum 3. Ad philosophiam theoreticam siue scientias contemplantes, vitamque contemplatiuam atque adeo ad eas artes, studiaque omnia, quæ cognitionem altiore profundiorésque meditationes desiderant, ratiocinationes, & intellectum iudiciûmque maius, magis est idoneum temperamentum illud melancholicum, quod declinat à calido, estque paulò frigidius. Probo sic; Illud enim temperamentum ad theoreticam philosophiam vitamque contemplatiuam magis est idoneum, quod animi motus facilius compefcit cõponitque, & mentem disponit magis ad benè contemplandum, sciendum, sapiendum: atqui temperamentum melancholicum paulò frigidius siue minus calidum est eiusmodi; compefcit enim facilius, componitque motus animi, & mentem disponit exactius ad benè contemplandum, sciendum, sapiendum; Ergo temperamentum melancholicum paulò frigidius ad philosophiam vitamque contemplatiuam magis est idoneû. Maior propositio huius syllogismi certissima est ac per se nota, nam ad bene contemplandum oportet imprimis animum esse quietum, tranquillum ac probè dispositum & à curis perturbationibusque liberum, imò & vitiis, iuxta illud S. Scripturæ. In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Deinde necesse est mentem ritè esse dispositam ad officia contemplandi, ut scilicet expeditiùs faciliùsque veritatem cõprehendat, probè intelligèdo, subtiliter ratiocinando, maturè iudicando, patienter examinando, appositè distinguendo. Qui enim ad hæc omnia probè dispositus fuerit, optimè se habebit ad philosophiam cõtemplatiuam, studiaque grauiora. Et reuerâ matutinæ cõtemplationes studiaque ad auroram meliora sunt & vtiliora, quia nimirum animus magis est compositus & quietus propter ipsam sanguinis & humorum quietem ac moderationem. Vnde illud, Aurora Musis amica, & illud Aristotelicum ex secl. 3. ptolem. 5. Manè facilius discimus, memoriaque perficitur. Minor autem propositio omnino est indubitata, ut enim commouetur nimium animus, ipsaque mens quodammodo concutitur & exagitur calidioris sanguinis, bilisque igneæ dominatu, vnde fumi & vapores plurimi ac feruentes in cerebrum efferuntur, spiritusque gignuntur fugaces, nimiumque vagi ac tumultuantes, qui ideò cogitationes meditationesque philosophicas perturbant & confundunt, cum bilis ignem imitetur qui in perpetuo est motu: sic animus idem mèsque fit tràquillior & sui magis compos dum

gaudet frigidiore temperamento quod nimirum reprimat, sedatque celeriores animi motus, nimiumque præcipientes, impediendo scilicet vaporum ascensum fumorumque plurimorum & sanguinis humorumque feruorem aut agitationem extinguendo, vel moderando, ipsosque spiritus nimium vagos & mobiles sistendo, constantioresque reddendo, adeoque aptiores ad intelligendum & sapiendum. Propterea enim iactatur vetus illud verbum, animus sedendo fit vegetior, id est dum tranquillam mens est, nec vlllo motu distracta; Atque adeo infantes aut pueri non sunt adeo apti ad disciplinas, præsertim verò inepti sunt ad scientias studiaque philosophica, & grauiora, vt notauit Aristoteles lib. 6. eth. quia puerorum mentes exundanti ac præcalido humore qui perpetuò agitur, quodammodo concutiuntur; mentis autem tranquillitas est à moderatione caloris, imò & à frigidiore temperamento. Idcirco enim senes prudentiores sunt, & consiliis aptiores, valentque plurimum iudicio & intelligentia qua superant iuniores, vt notauit Aristoteles problem. 5. sect. 30. Licet iuniores discant celerius, vt pote puberes & adolecentes, quia inquit eodem loco Aristoteles, eâ ætate pauca tenentur, vixque aliquid sciunt, quo autem plura sciuntur, eò pauciora possunt addisci, ideoque senes discunt tardius quia multa iam sciunt, licet intelligant perfectius. Itaque ad philosophiam theoreticam & cognitiones excellentiores, melancholicum temperamentum frigidius minusve calidum magis est idoneum, & certè causam hanc affert Aristoteles, vbi locis supra citatis decernit de ingenio, moribusque Meridionalium, Septentrionalium, & Græcorum. Nimirum idcirco Meridionales & Asiaticos esse prudentiores, ingeniosiores, sapientioresque ipsis Septentrionalibus, quia sunt temperamento frigidiore, minusque abundant calore, quam Septentrionales, quia videlicet natiuus eorum calor dissipatur caloris externi qui Australes regiones vrit, excessu ac vehemètia.

Quotquot igitur exstabant adolecentes, iuuenes, viri qui tali temperamento præditi videbuntur, scilicet ritè temperato, ita vt declinet in frigidum magis quam in calidum, illi omnes erunt ad philosophiam theoreticam magis idonei, & ad eas artes, quæ studia longiora meditationesque requirunt attentiores, discendique patientiam.

Quartum Decretum, Ad philosophiam practicam, vitamque actiuam, & ad artes eas, quarum finis est actio, vel opus externum, corporisque labor; imò & monitoria, colloquia atque consuetudo cum hominibus, cum quibus scilicet, vel contra

quos agere quoquomodo, oportet, melancholicum illud temperamentum ritè temperatum magis idoneum est, quod in calidum potius deurgit quam in frigidum. Probat, Illud enim temperamentum ad practicam philosophiam, vitamque actiuam, artes, negotiaque gerenda magis est idoneum, quod ad agendi facilitatem, promptitudinem, alacritatem & constantiam magis confert; atqui temperamentum melancholicum paulò calidius est eiusmodi. Agendi enim vis, promptitudo & constantia à calore est, eoque vegeto ac viuidiore, vnde scilicet animus & sanguis incitantur, spiritusque fiunt expeditiores & paratiores ad operandum, frigus enim reddit ignauos, inertes, timidos, taciturnos & imbelles aut saltem frangit, remittitque agendi efficaciam & energiam, ergo ad philosophiam vitamque actiuam, temperamentum illud paulò calidius erit magis idoneum, quam paulò frigidius. Et certè pro diuersis vitæ generibus requiruntur diuersa temperamenta, vt notum est ex supradictis: atqui vita contemplatiua & actiua creant constituuntque diuersa vitæ genera, vt notum est: ergo si ad contemplatiuam requiritur temperamentum paulò frigidius, ad actiuam paulò calidius erit magis idoneum, ex lege contrariorum. Contraria enim, contrariis; diuersa, diuersis conueniunt, & contrariorum, contraria sunt iudicia.

Quintum Decretum. Vt philosophia theoretica scientiæ contemplantes inter se differunt, sic & temperamenta minus, vel magis frigida, & gradibus quibusdam distincta, pro modo contemplationis, & rerum contemplabilium varietate requirunt; probatur, Vt enim se habent scientiæ sic & se habere debent temperamenta illis in statu perfecto ac excellenter obtinendis respondentia. Ergo sicuti scientiæ contemplantes studiaque & cognitiones à se differunt, sic & à se differre debebunt temperamenta ad has vel illas magis idonea, quod est per se clarissimum.

Sextum Decretum. Vt philosophia actiua scientiæ practicæ artes & disciplinæ in praxi & actionibus externis, negotiis, operibusque occupatæ à se inuicem differunt, sic & temperamenta paulò calidiora, semper tamen melancholica, sed gradibus quibusdam secundum magis & minus distincta requirunt. Huius decreti ratio eadem est cum ratione superioris, nempe quia temperamenta debent scientiis artibus, studiis, negotiisque esse accommodata; atqui philosophia vitamque actiua & scientiæ practicæ artesque, differunt inter se, ergo & temperamenta ad eas idonea, eodem modo differunt inter se.

*Decreta specialiora de Temperamentis ad
certas scientias & artes accom-
modatoribus.*

ARTIC. VIII.

EX generalibus decretis hæc ferè sequi
ac colligi meritò possunt specialia de-
creta ad singulas penè scientias, certaque
studia & artes pertinentia.

Primum speciale decretum est eiusmodi.
Temperamentum ad Dialecticam magis
idoneum debet quodammodo mixtum es-
se ex calido & frigido cum siccitate, sed fri-
gido magis, probatur, Dialectica enim ars
est siue scientia organica, & practica sum-
pto nomine practicæ generalius, quatenus
significat actionem directam vel dirigibi-
lem siue sit mentis, siue voluntatis, est enim
Dialectica ad mentis actiones dirigendas,
& conficienda Logicæ opera, vt pote de-
finitiones, diuisiones, Syllogismos, Me-
thodos; itémque ad subtiliter & animosè
disputandum comparata: Ergo requirer
temperamentum partim sub calidum pro-
pter acres illas subtiliorésque disputatio-
nes, quæ promptum & expeditum inge-
nium, adeoque bile aliqua incitatum, po-
stulant: cum bilis suaptè natura calida ad
celeritatem cogitationum, & ad pugnan-
dum argumentis, siue verbis vt & armis,
valdè conferat, & ad comprehendendi,
objiciendi, arguendique promptitudinem;
partim frigidum, atque illud paulò magis,
propter iudicandi facultatem, & veri à
falso discernendi peritiam, ipsasque men-
tis functiones, quæ cum ad contemplan-
dum magis pertineant, temperamentum
etiam Philosophiæ contemplatiuæ, quod
est paulò frigidius, magis exigunt.

Secundum decretum Speciale tempe-
rumentum ad Mathematicam, Physicam,
& Metaphysicam siue Theologiam natu-
ralem magis idoneum, est melancholicum,
ità conemperatum vt sit paulò frigidius.
Probatum, quia hæc omnes scientiæ theore-
ticæ sunt. Ergo temperamentum ad illas
idoneum, debet esse paulò frigidius; ni-
mirum vt sit animus quietior, quies enim
requiritur ad contemplationem. Hinc
non datur alteratio ad virtutes & scientias,
quia alteratio (vt calefactio & refrigeratio)
est motus, neque anima mens-ue dicitur
alterari, cum scientiam acquisiuit, sed per-
fici. Et tantum abest vt sit motus ad scien-
tias, aut in parte intellectiuâ animæ sit al-
teratio; quin potius otio & quiete, ac seda-
tis perturbationibus anima fit sciens ac pru-
dens, inquit Aristoteles cap. 3. lib. 7. Phys.
Hinc ebrij, pueri, ægrotantes, scientiæ va-

care non possunt propter humorum agi-
tationem, ac motum, qui motus à calore
est.

Tertium decretum. Speciale tempera-
mentum ad theoreticas scientias licet de-
beat esse paulò frigidius, minus tamè fri-
gidum conuenit Mathematicæ, frigidius au-
tem Physicæ ac Theologiæ siue Metaphy-
sicæ. Probatum, Mathematica enim præ-
sertim requirit ingenij subtilitatem ac
promptitudinem, vimque imaginandi vi-
uam & expeditam; atqui ad subtilitatem
ingenij, viuamque imaginationem non
confert temperamentum adeò frigidum;
imò paulò minus, propterea enim docuit
Aristoteles cap. 6. lib. 6. Ethicor. Iuuenes
posse quidem fieri Geometras & Mathe-
maticos, & in talibus euadere sapientes,
id est doctos, & eruditos; at prudentes fieri
non posse. Sed & eodem loco docuit, pue-
ros posse reddi Mathematicos, non autem
sapientes aut Physicos; quia nempe res
Mathematicas abstractas à materia facilius
comprehendunt ac diiudicant, Physicas
autem minime: quia cognitio rerum Phy-
sicarum experientiam & vsum requirit,
quo carent pueri; atqui pueri & iuuenes
non sunt frigido temperamento, quare i-
doneum satis ad Mathematicas tempera-
mentum nõ necessariò erit adeò frigidum,
ad Physicam verò & Metaphysicam con-
feret frigidius, quia hæc scientiæ vsum, &
experientiam, iudicium, longasque ἀποά-
στας auditiones ac cōtemplationes attentis-
simas requirunt, propter rerum difficulta-
tem, sunt enim Physica & Metaphysica
difficiliores Mathematicâ & operosiores:
quod faciliè intelligi potest ex veterum
philosophorum consuetudine, ac ordine
quem seruabant in pertractandis philoso-
phicis scientiis, etenim, vt nihil dicam de
aliis, ipse Plato discipulos Mathematicæ
ignaros, & qui se prius in Geometriæ pul-
uere non exercuissent, arcebat à suæ phi-
losophiæ Gymnasio inscriptâ Academiæ
foribus hac verborum formulâ. *μὴ δὲν ἀγεω-
μέτρως εἰσὶ τὰ :*

Nemo Geometriæ ignarus ingrediatur,
Propterea enim vocabat idem Plato lib. 7.
de Repub. Mathematicas artes *προπαι-
δείας*, quasi priores institutiones quibus ado-
lescentum animi ad Physicas, grauiorésque
scientias vt pote Physicam & Theologiam
siue Metaphysicam instrui deberent ac præ-
parari.

4. Decretum. Disciplinæ & artes in no-
titiis grauioribus, attentioribus studiis, pru-
dentis officii, mentisque contentione oc-
cupatæ, vt Medicina, Ethica, Politica, ars
Poëtica, Rhetorica, siue oratoria, iurispru-
dentia, ars pingendi, quatenus theoriæ siue
accuratæ cognitioni studiisque vacant, re-

quirunt temperamentum melancholicum paulò frigidius ad sui consecutionem faciliore & feliciorem. Probatum, Officia enim prædictarum artium requirunt studia attrè-tiora, quæ non nisi cum otio & quiete & animi tranquillitate, diuturno labore, vfu, experientiaque perfici queunt. Atqui hæc requirunt frigidum magis quàm calidum temperamentum, vt de Physica, Metaphysica, & Mathematicis dictum est, licet alioqui artes illæ practicæ sint, & ad actiuã vitam pertinentes. Nempe quia in scientiis practi- cis duo spectari debent, ipsa imprimis cognitio, siue theoria rerum ad eas perti- nentium, vt in medicina cognitio siue theo- ria corporis humani, elementorum, tempe- ramentorum, partium, humorum, spirituum, actionum, facultatum, quæ in homine sunt, quæ pars medicinæ dicitur Physiologia; imò & cognitio morborum & symptoma- tum, rerumque salubrium, insalubrium & neutrarum. In arte oratoria, cognitio facto- rum, causarum, rerumque, de quibus dice- re oportet ex præceptis benè dicendi. In Dialectica cognitio modorum siue formu- larum differendi, definitionum diuisio- num, argumentationum, & methodorum. In arte Imperatoria & militari, cognitio re- rum bellicarum, gentium, locorum, perso- narum, temporum, annorum, & præcepto- rum bene feliciterque gerendi belli, & ipsa consilia militaria. Deinde in iisdem scien- tiis practi- cis & artibus considerari debet, v- sus, praxis & exercitatio siue executio præ- ceptorum, vt sunt in scientia militari, forti- ter pugnare ac tēpestiuè; in Dialectica be- nè differere; in Medicina perite prudenter- que mederi, agros monendo, consolando, iisque consulendo, & consentanea reme- dia præscribendo & præparando, & appli- cando. In Oratoria & Iurisprudencia siue causidicina causas agere, orationem habe- re, docere, mouere, delectare, persuadere. Posita enim hac distinctione facile est quæ- stionem soluere & obiectionem diluere, quæ fieri potest. Certum enim est, ad theo- riam & cognitionem perfectiorem rerum. quarumlibet, & ad prudentiæ officia tem- peramentum paulò frigidius magis esse ido- neum; ad praxes autem, vsum, operationes, & exercitia artium paulò calidius, sit ergo

5. Decretum; Scientiæ artésque practi- cæ & studia ac disciplinæ omnes quæ ad vi- tam actiuam pertinent, & ad actiones mo- rales externalque referuntur, vt Theologia practica, quæ in fidei mysteriis explicandis, (de Theologia Christiana loquor) in do- cendo, monendo, prædicando consistit. Item Medicina practica, quæ in ægris sanā- dis sanisque conseruandis occupatur: Iuris- prudencia causidicina, Rhetorica, Oratoria, quæ in causis agendis versatur & orationi-

bus, elocutione, gestu, pronunciatione, vi- uaque forti, & clara voce. Ars denique mi- litaris, quæ in strenuè pugnando occupa- ta est, aliæque consimiles artes, temperamē- tum calidius desiderat, ad sui perfectionem & excellentiam; quoad fines sibi propo- sitos, probatur. Etenim prædictarum scien- tiarum artiumque vsus, praxis & exercitia desiderant firmiorem valetudinem, vires, ac robur & animi & corporis; itemque ex- peditam quamdam facultatem & vim ad externas operationes constanter, generosè & alacriter exercendas, sic enim ad concio- nes orationesque pronunciantas, ad causas agendas, ad bellica certamina requiruntur firma latera, robur membrorum, vox argu- ta, vis imaginatrix, & prompta quædam ex- citandorum in seipsis & in aliis pathema- tum passionumque vt iræ, odij, spei, naturæ habilitas, & in re militari armorum mouen- dorum strenua dexteritas, laborumque, & caloris & frigoris patientia: atqui hæc om- nia dependent à calore natiuo, eoque vege- to & vberiore, aut saltem à calido magis quàm à frigido temperamento. Ergo ad praxim externalque actiones animosè per- ficiendas temperamentum paulò saltem calidius erit magis idoneum.

6. Ac postremum Decretum, quod est instar epilogi totius dissertationis, Cū me- lancholici omnes varij sint & inæquales, quia vis humoris melancholici varia est & inæqualis, quippe qui calidior modò, mo- dò frigidior reddi possit, vnde morum & ingeniorum varietas, itémque tempera- mentorum etiam sub vno genere ipsius me- lancholici gradibus distinctorum, vt à vino pauciore vel copiosiore varij affectus; fieri autem possit & reuerà fiat, vt illa inæquali- tas temperetur, iustamque aliquam mode- rationem nanciscatur itavt pulchrè se ha- beat possitque *καλῶς πῶς ἐχει* vt loquitur Aristoteles, nempe quod vbi opus est, fiat calidior, & tunc ad agendum maximè valet, & cum opus est frigidior, & tunc ad contē- plandum consultandumque confert pluri- mum, propter excessum humoris. Profectò ad philosophiam omnem scientiasque, & artes & studia omnis generis temperamen- tum melancholicum maximè est idoneum. Quod quia est ex ante dictis quam notissi- mum, hinc fit vt melancholici à natura, non modo sint in philosophia & artibus quibuslibet vel his vel illis, pro distinctio- ne suarum peculiarium complexionum *ἡ τῆς Ἰδιοσυγκρασίας* illustres, eximij, singu- lares ac omnium præstantissimi.

APPENDIX BREVISSIMA,

DE

FACULTATIBVS ANIMI QVE
DOTIBVS AD PHILOSOPHIAM

ARTESQVE VARIAS, IN GRADV

Excellentiæ obtinendas requisitis.



HACTENVS de temperamentis eorumque varietate & distinctionibus, præsertimque de melancholico, quod prout vario modo temperatum calore & frigore, & ad mediocritatem & æquabilitatem quandam redactum est, excellentiam præstat in philosophia scientiisque tam cõtemplatiuis quàm practicis & artibus omnis generis vt abundè probatum est. Restat vt pauca de facultatibus subiiciamus ad scientias artèscque maximè conducentibus præsertim cum facultates vt & actiones à temperamentis maximè dependeant, cum agendi vires, vt ex Medicâ physiologiâ constat, à conditione temperamentorum omnino repetantur.

Facultates autem appello hoc loco naturalis animæ potentias siue quasdam veluti virtutes homini insitas, & ad certa officia comparatas, quæ præsertim sunt destinatæ, ad cognoscendum, cuiusmodi sunt sensus tam externi, vt visus, & auditus, & cæteri, quorum ope res sensibiles percipimus; quàm interni, vt communis sensus, phantasia, siue vis imaginatrix, æstimatoria, & memoria sensitiva; quæ in cerebro, tanquam in organo, sedem habent: & ipsæ tandem facultates propriæ animæ rationalis, mens scilicet siue intellectus, & memoria spiritalis quæ scilicet cum ratione coniuncta est. De voluntate enim siue appetitu rationali non est necesse quidquam hîc adnotare, cum dumtaxat hîc sit sermo de facultatibus cognoscentibus, quæ ad scientias artèscque sunt profus necessaria. Esto igitur

Decretum Primum.

Facultates omnes cognoscentes tam sensitivæ quàm intellectivæ quò perfectiores sunt, atque à perfectiore temperamento, eò magis sunt idoneæ ad scientias

& artes excellenter acquirendas; probatur. Artes enim & scientiæ sunt cognitiones intellectivæ; cognitio autem intellectiva à sensitiva dependet, cum nihil sit in intellectu quod non prius fuerit in sensu. Ergo vt erit cognitio sensitiva perfecta, aut imperfecta (si recta est ac perfecta) ita & perfecta erit, vel imperfecta intellectiva, quæ philosophiam artesque facit & constituit. Est enim intellectus siue mens organû vel instrumentum naturale, ad artes scientiasque & rerum omnium comprehensionem destinatum. Vt enim Deus & natura manum corpori dedit, tanquam organum ad vsum instrumentorum externorum, vt penicilli, mallei, gladij, sic mentem tribuit animæ ad vsum scientiarum & ad omnia rectè intelligenda, vt præclare docuit Aristoteles problem. 5. sect. 30. Vbi interim notari à curioso lectore & erudito debet error Theodori Gazæ interpretis, qui malè reddidit vocem græcam, quæ est in textu ὁ Θεός, vertitque natura; quod dixerim obiter aduersus eos qui nomen Dei non extare aut perarò reperiri aiunt in philosophia Aristotelis, hoc enim est falsissimum.

Decretum Secundum.

Sensus quinque externi debent esse optimè dispositi, acuti, expediti, & in propriis organis ritè præparatis ac egregiè conformatis, ad excellentiam artium & scientiarum comparandam; sed præsertim visus, & auditus; ratio est, quia hæ duæ facultates sunt veluti fores & ianux scientiarum: & visus quidem sensus est inuentionis per ea quæ videntur & oculis obseruantur. Auditus autem sensus est disciplinæ, per ea quæ audiuntur, & viua præceptoris voce excipiuntur ac edocentur, sic enim defectu visus cæci nullam habere possunt colorum scientiã quia carent sensu colorum; surdi nullam sonorum & musices, quia vocis ac sonorum sensu destituuntur.

Decretum Tertium.

Sensus interni vt sensus communis, phantasia, & ceteri eodem iure requiruntur, perfectique esse debent ad excellentiam artium scientiarumque comparandam. Maximè verò phantasia siue facultas imaginatrix; probatur, etenim interni illi sensus viciniore sunt menti, cui omnino deseruiunt, ergo si requiritur perfectio sensuum externorum, multò magis internorum, præsertimque imaginatricis facultatis, quippe excipiat imagines (vnde & nomen habet imaginatricis) rerum sensibus externis perceptarum, quas in phantasmata & simulachra quædam conuertit, quæ cum res repræsentent necessaria sunt ad intellectionem, oportet enim intelligentem, inquit Aristoteles 3. de anima, speculari phantasmata. Hinc est quod qui pollent vi imaginatrice vt sunt melancholici & biliosi, ij ad scientias artesque magis sunt idonei. Imo tanta est connexio & societas phantasiæ & mentis, vt Aristoteles ipsam phantasiam vocet intellectum siue mentem, cap. 5. libr. 3. de Anima, vbi dicitur phantasia, *νοῦς παθητικός*, vt libro secundo, de Anima, & alibi.

Decretum Quartum.

AD perfectionem & excellentiam philosophiæ, scientiarum, & artium requiritur excellentia facultatis imaginatricis, & intellectus, (ad quem pertinet iudicium,) & memoriæ tam sensitiuæ quam intellectiuæ, quæ nimirum Reminiscencia *ἀνάμνησις* appellatur, eo quod cum discursu & ratione sit coniuncta. Probat, quia excellentia philosophiæ, & artium, consistit in viuâ quadam ac forti apprehensione, comprehensione, iudicio, ac recordatione rerum ad ipsas pertinentium; atqui viuâ illa apprehensio, iudicium, recordatio sunt à prædictis facultatibus; Nam imaginatio si excellens est, facillè celeritèrque apprehendit, intellectus comprehendit & iudicat, memoria retinet & asseruat species philosophicas, cogitationes & decreta, præceptaque artium & scientiarum, tanquam *κλειμῆλιον* arca & thesaurus ad vsus necessarios: Ergo ad perfectionem scientiarum & artium requiritur potissimum excellentia imaginationis, intellectus, & memoriæ.

Sed quia eiusmodi facultates videntur præsertim relucere ac residere in capite, & earum actiones manifestæ sunt in cerebro; idè ad earum excellentiam, & perfectionem requiritur maximè cerebri ipsius capitique quod cerebrum continet, optima

temperies, & concinna conformatio atque figura; sit ergo

Decretum Quintum.

AD excellentiam artium, & philosophiæ necessaria est optima cerebri temperies, capitique structura & conformatio idonea. Probat, quia organa partisque corporis humani debent esse ita à naturâ temperatæ & conformatæ, vt sint functionibus & facultatibus suis accommodatæ; anima enim; ex cap. 2. libr. 2. de Anima, est actus corporis naturalis, non cuiuslibet, sed organici, tali, vel tali temperie & figura ac conformatione præditi secundum diuersitatem actionum ipsius animæ: atqui cerebrum est organum parsue ea humani corporis, in qua resident facultates supraddictæ, & in qua earundem actiones perficiuntur, scilicet imaginatio, recordatio, iudicium, ratiocinatio, contemplatio, deliberatio, quæ sunt animæ principes actiones, quas vocat Galenus Medicinæ genius, *ἡγεμονικὸς*. Neque enim in corde, aut in hepate aut diaphragmate fiunt hæ actiones vt nonnulli existimarunt, sed in cerebro, arce sapientiæ & intellectus, quod vel ipsa docet experientia, & sensus vniuscuiusque: licet quidam è veteribus philosophis, imò & ipse Aristoteles, crediderint in corde fieri omnes illas principales animæ actiones & earum facultates; propterea in corde vt in propria sede ac subiecto residere; contra quos tamen decreuerunt Hippocrates, Plato, Galenus, & alij Medicinæ principes, ipsa anatome experientiaque edocti & confirmati: ergo cerebrum & caput ita debent temperari & conformari vt sint maximè accommodata actionibus illis & facultatibus principibus quæ ipsi cerebro insunt.

Decretum Sextum.

Optima cerebri temperies debet esse ita moderata in omnibus qualitatibus primis, vt calor non excedat frigus, imò potius non nihil excedat superetque frigus calorem; nec humiditas siccitatem adeò exuperet, sed ipsa siccitas tantillò potius superet humiditatem, nimirum vt excellentia philosophiæ, prudentiæ, & artium obtineatur. Etenim calidius cerebrum mutabile est, inconstans, temerarium & præceps in opinionibus & cogitationibus suis, vt & frigidius plus æquo, stupidum; humidius autem, & quod fluidæ est substantiæ, non satis retinet, & siccus non facillè concipit, nec promptè statimve apprehendit. Sed tamen ferè moderatè esse debent omnes illæ qualitates, calor nimirum & frigus, ratione intellectus & iudicij; humiditas ratione phan-

tafiæ, siccitas propter memoriam ad retinendas nimirum species asseruandasque actiones, præcepta, documenta, consilia.

Sed & requiritur ut medulla cerebri, partesque totius cerebri, ritè sint inuicem unitæ, coherentes & compactæ; ita tamen ut ipsa cerebri substantia subtilior sit, quàm crassior, ab illa enim ingenij bonitas existit *αὐχινία*, siue solertia & discendi facilitas, ab hac tarditas intellectus, ut docet Galenus cap. 12. artis parvæ. Vbi etiam ait memoriam indicare Cerebri substantiam stabilem & firmam; obliuionem verò, fluidam, sicuti & mobilitas siue mutatio in opinionibus significat calidam, & contra stabilitas frigidam eiusdem substantiæ cerebri temperaturam; hinc enim melancholici tenaces sunt propositi, imò pertinaces.

Decretum Septimum.

Optima capitis conformatio requirit quatuor condiciones.

Prima est, ut caput sit rotundum siue orbiculari figura tornatum ad capacitatem maiorem, ut nempe cerebri molem amplissimam facilius contineat; Ita tamen, ut figura capitis non sit exquisitè rotunda, neque etiam acuminata, mucronata, turbinata ut in *Thersite* Homerico; sed quadamtenus oblonga, verticibus geminis extumescens, & ad latera compressa, ac utrinque protuberans, tam in anteriore parte ob carunculas mammillares, organa odoratus, quàm in posteriore, ob exortum Medullæ spinalis.

Secunda ut sit caput magnum, quia caput paruum signum est vitiosæ constitutionis cerebri, ut docet Galenus cap. 11. Artis parvæ. Nempe quia paruum caput arguit imbecillitatè facultatis formatricis & inopiam materiæ spermaticæ, & certè Physiognomones parua capita aiunt testari ingenium præceps & temerarium, ob spirituum paucitatem, qui angusto conclauis quasi carcere coerciti incalescunt sine modo, nec liberè ut par est, exspatiantur. Magnum autem caput, quod est tale ob insitæ virtutis robur, quæ multam & optimam materiam efformauerit, cerebri constitutionem optimam, eiusque copiam, atque adeò ingenij bonitatem creat & testatur. Solus enim homo inter animalia abundat cerebro, ita ut homo vnus licet paruus habeat plus cerebri, quàm boues ex ratione ac proportionem corporum duo etiam maximis; & reuerà inter brutas animantes simia, vulpes, canis plus sapiunt cæteris, hominisque prudentiam propius attingunt aut imitantur, quia plus habent cerebri, quàm aliæ animantes. Enimverò ad id quod obiicitur ex probl. 3. sect. 30. ubi ait Aristoteles ho-

minem esse animal prudentissimum, quia paruum caput habet; facile respondetur, per paruitatem capitis eo loco intelligi carnis paucitatem, & adipis & ossium tenuitatem, non ipsius substantiæ cerebri. Capita enim quæ magna sunt & crassa propter molem carneam, & adiposam, & osseam extra cerebrum, ea sunt tardiora, minisque idonea ad mentis officia, aut ingenij bonitatem. Verissimum enim est illud Platonis, nocere intellectui ac ingenio pinguedinem carnemque nimiam, & ossa crassiora, ideò siquidem cæteris paribus graciles & macilentis sunt crassis & pinguibus & obesibus ut & viuaciores ex Hippocrate in aphorif. & ingeniosiores: quæ autem parua sunt eo modo, destitutione nimirum carnis nimie, & ossium crassiorum, aptissima sunt ad mentis & prudentiæ munera, non quæ parua defectu cerebri; hinc enim illud *Æsopicum* de larua, pulchrum caput, sed cerebrum non habet, nempe quia copia cerebri semper ad ingenium confert, quod & perbellè explicatur malo punico siue aureo, vel aurengio, vel citrio, quod si crassus est abundatue cortice multo, idem caret laudabili succo, qui est eius veluti anima.

Tertia ut quatuor ventriculi capitis benè sint siti & distincti in cerebro, duo quidem anteriores, vnus in dextra, alter in sinistra parte, tertius in medio; quartus in posteriore cerebri parte, ut docet Anatomie.

Quarta ut substantia cerebri sit subtilior. Cuius conditionis ratio suprâ exposita fuit ex Galeni doctrina. Nam à subtiliore substantia existit subtilitas ingenij, à crassiore stupor & tarditas, quod est notatu dignissimum.

Decretum Octauum.

Tametsi ad artes scientiæque quaslibet maximè conferant prædictæ facultates imaginandi, intelligendi, memorandi, ad has tamen vel illas artes hæ, vel illæ facultates magis conferunt. Huius decreti veritas colligitur ex ante dictis. Omnes enim artes scientiæque requirunt imaginationem, intellectum & memoriam. Sed cùm imaginatio viua conferat magis ad certas functiones, earumque perfectionem, ut ad pingendum, ad declamandum, ad concionandum, ad pangendos, versus; intellectus ac iudicium, ad comprehensionem grauissimorum theorematum ac documentorum, quæ in scientiis traduntur; memoria ad ea quæ in promptu semper esse debent, atque in thesauro animi conseruari, ut sunt leges politicæ in Iurisprudencia; partes corporis humani per Anatomie dissectæ. Item herbæ & medicamenta simplicia in Medicina; propterea imaginatio, ad has magis artes, in-

& iudicium ad illas, memoria ad istas excellentius obtinendas magis est idonea. Esto igitur

Decretum Nonum.

PHantasia siue facultas imaginatrix, itémque memoria ad Rethoricam, artemque Oratoriam, Poëticam, Picturam, Concionem seu Prædicationes Theologicas, atque adeò ad Theologiam practicam, ad gubernationes politicas siue reipub. administrationem; Ad Medicinam practicam siue praxim medicam, aut curandos ægros; ad militiam, itémque artem militarem non modò necessariae sunt maximè, sed si excellent, ad earumdem artium præstantiam, gloriamque præcipuè cõferunt. Probat, Omnes enim illæ artes & scientiæ, vt suum finem perfectiùs obtineant, ab officiis functionibusque phantasiæ ac memoriæ, ijsque omnibus que ad vtrámque facultatem pertinent, prorsus dependent; adeo vt egeant etiam calore, siue temperamento calidiore, quòd si cum quadam humiditate coniunctum est, excellentem reddit imaginationem; si eum siccitate, memoriam eximiam. Etenim in Oratoriâ arte, in Poëticâ, in causis agendis, regendis populis, praxi Medica, militaribus officijs, requiritur viua quædam, & subtilior rerum vel dicendarum, vel describendarum, vel pingendarum vel quoquomodo faciendarum apprehensio: Præterea ordo aliquis, dispositio, descriptio, actio, gestus, elocutio, pronuntiatio, & vis ornatè, copiosè, ac memoriter de quacunque re proposita dicendi: auditorum animos commouendi, delectandi, persuadendi: & in Medicina feliciter faciendâ, accuratè considerandi partes affectus, particularia symptomata, causas morbificas, & peculiare complexionis, *ἢ τὰς ἰδιοσυμplexίας*, agrorum; itémque remedia præscribendi, hoc vel illo ordine, & obseruatis circumstantiis locorum, temporum, personarum, vt & in militia in qua eadem debent considerari, non prætermisso ordine & dispositione equitum, ac militum pedestrium. Atque hæc omnia spectant ad facultatem imaginatricem & memoriam. Nam imaginatio subtiliter apprehendit, inuenit, ordinat disponit, corporis gestus, motumque regit, mouet affectus, concitat animos, fingit figuras & ornamenta; & exempla ac similitudines excogitat, facileque assequitur; vocis mutationes, contentiones, remissiones moderatur, sententias, iocos, sales, dicteria habet prompta & in numerato, leporem, linguam expeditam comites habet, cum hæc omnia sint à calore, quem requirit ipsa vis imaginandi perfectior, & Poësis,

quam idcirco alioqui rudior, perficit interdum iracundiæ motus & indignatio, sanguisue calidior, iuxta illud Poëta:

Si natura negat, facit indignatio velum.

Sed cum officia illa non possint fieri facile & comodè sine multa lectione, studio & memoria rerum, sententiarum, figurarum, quæ ab ipsa facultate reminiscendi dependent, profectò ad illa eadem omnia maximè conferet felix memoria.

Decretum Decimum.

VT ad politicam gubernationem legumque ciuiliū executionem requiritur excellens imaginatio; sic & ad iudicandi sapiētiā, causarūque forensium ac litium definitionem, siue ad ipsa iudicia ciuilia, vt pote Prætorias sententias, & Senatusconsulta, requiritur maximè ipsa vis & facultas intelligendi, vel intellectus siue mens optimè composita: sicuti ad legum ciuiliū, regularum iuris, & consuetudinum populorū, variorūque locorum notitiā, vnòque verbo ad Iurisprudentiam excellentiorem & causidicinam desideratur excellens memoria. Probat, Nam iudicandi munus & functio perfectam requirit rerum causarūque comprehensionem ac intelligentiam, vt videlicet optimum de omnibus feratur iudicium nemo enim de incognitis rectum ferre iudicium potest cum eorum quæ quisque nouit solus esse rectus iudex possit, *ex. i. Ethic.* Atqui id munus pertinet ad intellectum, siue facultatem comprehensiuam optimèque cognoscentem, *ἢ τὴν κριτικὴν*: Ergo ad iudicandi prudentiam maxime & omnino confert intellectus. Iam verò quòd memoria ad legum scientiam sit pernecessaria, redâtque insignem Iurisconsultum, hinc manifestè apparet, quòd debeant causidici & iurisperiti legibus omnibus ac regulis iuris, varijsque variarum nationum & ciuitatum consuetudinibus imò & sententijs iudicialijs, senatusconsultis, regum edictis, responsis prudentium, prouerbij, factis particularibus, quæ omnia penè sunt innumerabilia, esse instructissimi: alioqui hærebunt & obmutescunt in causis, negotijsq; forensibus, hinc enim vulgò dicitur, erubescat Iurisconsultus sine lege loqui. Atqui tot leges, tot regulæ, tot consuetudines, tot senatusconsulta, aresta, placita, adagia, edicta, quibus alligata est iurisprudentia & causidicina, non possunt certò teneri, esseque ad manum & mentē sine excellenti memoria, hinc enim datus est prouerbio locus, Memoria Iurisconsultorum. Ergo ad iurisprudentiam memoria maximè confert, vt ij qui memoria excelluerint, futuri sint insignes iurisperiti.

Decretum Undecimum.

Intelligendi facultas quæ vno nomine intelligentia siue mens appellatur, & quæ maximè ad cognitionem & contemplationem pertinet, omninò & maximè necessaria est ad Dialecticam, Physicam, Metaphysicam, principes Mathematicas, Arithmeticam scilicet & Geometriam, itémque Christianam Theologiam, eam maximè quæ contemplatiua dicitur & Scholastica, in gradu excellentiæ acquirendas. Probatum; Etenim hæ scientiæ requirunt longa studia, assiduas meditationes, intelligentiam altissimorum principiorum, ratiocinationes subtiliores, distinctiones acutas & accuratas, magnam iudicij maturitatem, profundas cogitationes logicasque abstractiones: atqui hæc omnia sunt intellectus siue mentis officia præstantissima, potius quàm phantasiæ aut memoriæ; ita vt præterea requirant intelligendi officia contrarium ferè temperamentum, nempe paulò frigidius, imò & siccius. Hinc enim fit vt qui excellunt in scientijs contemplatiuis, valentque intellectu & iudicio, vix fiant saltem excellentes Oratores, disertis, eloquētes, aut etiam Poëtæ, imò non adeò excellent memoria aut, vlla siue palàm, siue priuatim bene loquendi aut dicendi venustate; quòd si fortè hæc dotes simul concurrant, inde erit profectò rara avis in terris, albòque simillima coruo. erit siquidem id prodigij instar, nec nisi immenso labore, ac indefessis studijs fiet, prorsusque inuita Minerua.

Decretum Duodecimum.

Tres hæ facultates, intellectus, memoria, imaginatio, simul concurrere debent quantum fieri potest, ad excellentiam Medicinæ, saltem respectu diuersarum illius partium & officiorum variorum. Probatum; In Medicina enim est profectò Theoria, siue cognitio ampla, difficilis & ardua rerum omnium salubrium, insalubrium, & neutrarum. Imò rerum omnium, quæ in natura sunt, ad quas profectè cognoscendas requiritur intellectus, vt ferè in scientijs theoreticis; Sed & in arte medica multa sūt memoriæ commendāda, vt partes omnes corporis humani, plantæ generum omnium, arbores, frutices, herbæ, fructus, flores, animalia etiam, eorumque partes, item sententiæ & aphorismi medicinales, obseruationes quoque; sed & metalla, gemmæ, lapides, denique experimenta morborum & remediorum multa & longa, quæ omnia absque feliciore quadam memoria non possunt retineri, & in animo conserua-

ri. Denique Medica praxis perfectionē imaginationis omninò requirit, vt facilè & clarè, & celeriter obseruet Medicus, percipiâtque ægrorum temperamenta, causas morborum, actiones varias, sermonem, gestus ipsorum ægrotantium se, se ipsis accommodet, circumstantias omnes examinet, remediorum ordinem præscribat, tandèmq; ægros elegantioribus alloquijs recreet, consoletur, atque in spem erigat recuperandæ sanitatis, etiam adhibita humanitate, comitate & iucundioribus narratiunculis, quæ omnia pertinere maximè videntur ad vim imaginationis. Atque ex his intelligitur quanta sit Medicinæ dignitas ac præstantia, eiusque in statu perfectò obtinendæ difficultas, quæ scilicet omnium principum facultatum imaginatricis, memoratricis, atque intellectricis dotes ac excellentiam desideret.

Decretum Decimumtertium.

Temperamenti in vnoquoque hominè bonitas è symmetria, iustaque proportionè & isonomia qualitatum primarum confurgens; itémque partium humani corporis decora harmonicæ conformatio, viuidus ac florens color, vnde pulchritudo, sensuum prætereavigor, acumen, subtilitas, denique interiorum ac principum facultatum, phantasiæ, intellectus, memoriæ excellentiæ, virtusque naturalis, & perfectio tanti est momenti ac pretij, tantæque esse debet existimationis, vt non modò sic natos homines reddat, in humana sapientia, artibus, scientijs, virtutibusque moralibus per illustres & excellentissimos, & quasi admirandos Heroas *ἡμετέους* præsertim si temperamento illo melancholico ad exquisitam mediocritatem redactò à natura præditi sint, vt supra cum Aristotele docuimus ad problem. I. sect. 30. Sed & illa eadem proba indoles, *εὐφροία εὐκρασία εὐρωσία*; temperatura scilicet optima, constitutioque corporis pulchra & egregia, & facultatum illarum principum præstantia naturalis, suauiter ac perbelle eosdem illustres viros disponat ad diuinam gratiã, donaque super naturalia, ad sanctas Domini Dei vocationes ac inspirationes faciliùs audiendas & efficacius acceptandas, ad vitæ religiosiora & meliora instituta sapientiùs eligenda & amplectenda, adeoque tandem ad æternam salutem, & gloriam cœlestemque ac supernaturalem beatitudinem, quæ hominum finis est vltimus & optimus, expeditius obtinendum. Quod decretum sic velim accipi & intelligi, non quod naturale temperamentum, siue natura nostra, sed voluntas liberumque arbitriũ, sit propria aut sola causa gratiæ diuinæ æternæque salutis, & glo

& glorię, vt Pelagius Hęresiarcha falsò existimauit, ideoque ab Ecclsiã sancta Catholica & Romana, quę sola orthodoxa est, & maternostra fuit condemnatus; sed quòd naturã nostrã probe dispositã ac temperatã, & virtutis seminibus ac igniculis veluti fœcundata sit aptius quoddam diuinę gratię fundamentum & adminiculum, quàm si minùs bene affecta esset, vt sicuti gratia semen est glorię (vt piè ac eleganter loquuntur Theologi) sic natura siue naturalis temperamenti bonitas, sit ipsius gratię quædam, remota saltem præparatio, fulcrum, scabellum ac pedamentum. Cuius interim bonitatis naturalis auctor primus sit Deus opt. max. qui & naturę, & gratię & glorię pater est munificentissimus. Gaudeant ergo bene nati, Deoquę ipsi gratias agant, referantque immortales Latentur melancholici illi illustres, qui ob exquisitoris temperamenti bonitatem, non tantùm excellunt in humanis artibus, sapientiã, scientiis, negotiis rebusque gerendis: sed & Deo ipsi gratiores sunt, aut esse possunt, atque vt ad diuina beneficia excipiendã paratiores, sic cœlo digniores, æternęque felicitati propiores ac viciniore, licet certissimum sit illud D. Pauli, vult Deus omnes homines & quouis temperamento præditos, saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, nullaque sit apud Deum *περὶ τῶν πνεύματων* aut acceptio personarum, siue temperamentorum. Interim tamen Sanctorum virorum illustrissimi, ipsique Prophetę non pauci, fuere excellenter melancholici vt eorum vitã scriptisque patet, sic Hieremias, Isaias, Ionas, Iob, quod nomen Latine redditur dolens, gemens, vlulans, nec non Ecclesię illi reuerendissimi patres, & Christianę religionis lumina & columna D. D. Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Ioannes Chrysostomus, Bernardus, Bruno princeps Carthusianorum, alique complures, qui ideo vt doctrinę præstantiã, sic & vitę mörumque sanctitate ac seuerioribus institutis, diuina tamen præeunte ac semper prælucente gratiã, ipsumque naturale temperamentum promouente, refulserunt, siue apud omnes admirationem concitãrunt. Atque idem profecto existimare par est, de piis illis hominibus qui à Domino Deo inspirati, eiusque gratiã donati, ac illustrati, religiosos quosdam ordines, & sanctiora vitę genera, ac instituta hæc vel illa seligunt, & amplectuntur, singuli singula, varij varia, pro suo quippe genio & ingenio; id est prout sacra illa austerioris vitę instituta, societates, congregationes, eorum naturę, temperamentis ac complexionibus particularibus, quas Medici vocant

Tom. I. †

ιδιαιτηγούας conformiores videntur, magisque consentaneę, vnde etiam maior existit fructus, maiorque consequitur gloria sanctitatis, & famę Christianę, è certo illo certorum ordinum delectu, quem sectantur certarum Religiosarum institutionum candidati; qui si vitę instituta præter insitam vim, aut contra naturales suas propensiones, & temperamenta amplectentur, profectò facerent incommodè, aut saltem minùs congruenter, minùsque perfectè. Licet diuina voluntas, virtus, gratiãque absolutè sit omni humanã dispositione superior. Enimvero Deus opt. max. verè *φιλάσπρονος* sese pro sua singulari, & prorsus admiranda bonitate, misellis & naturã suã infirmis hominibus accommodat, atque vt Sol aërem & limpidas ac puriores aquas, magis illuminat, radiisque opplet vberioribus, & opacam intùs, roridam extùs nubem iride pulcherrimã pingit, & mille adornat coloribus: An non sic à Deo sunt diuisiones gratiarum? Aliis enim datur sermo sapientię, aliis scientia, fides, gratia sanitatum, prophetia, discretio spirituum: alios posuit Deus Apostolos in Ecclesiã, alios Prophetas, alios Doctores, &c. Vt ait Apost. cap. 12. Epist. 1. ad Corinth. An non sic alios Deus vocat ad Societatem Iesu, alios ad sacrum Oratorium, alios ad alios ordines, Carthusianorum, Franciscanorum, Dominicanorum. Minimorum, alios aliò: vnus licet sit, idemque spiritus, diuidens singulis prout vult, vt loquitur D. Paulus, ibidem; An non sic vt semel dicam, secundùm Dei nutum, natura sequitur semina quęque suę? Sic temperatiores, & temperantiores homines, animosque probè dispositos Dominus Deus donis exquisitoribus, certisque muneribus, potiùs beat, redditque sanctiores: quippe naturam gratia non destruit, vt Theologi aiunt, sed perficit; ita vt quòd natura (id est temperamentum) in hominibus perfectior, ornatiorque secundum dotes suas extiterit, eò in illã diuinę gratię thesauri, luminãque magis redundent, ac elucescãt. vt inde non immeritò colligere quis possit in Domino nostro Iesu Christo Dei filio, vero Deo, homine vero, in quo reconditi erant sapientię, scientiarum, sanctitatis, virtutum, miraculorum, gratiarum, & perfectionum fontes & thesauri omnes, qui speciosus erat formã præ filiis hominum, & in cuius labiis diffusa erat gratia, & cui propterea (hanc enim fere benedictionis rationem & causam, scilicet egregiam corporis conformationem, & pulchritudinem, quę optimum supponit temperamentum, reddit Psalter regius) benedixit Deus in æternum: In Christo inquã Domino, quem vt ait Saresberiensis, *Be-*

E

uisse legimus, risisse non legimus; temperamentum illud melancholicum, quod scilicet est omnium præstantissimum, adeoque ipsi sapientiæ, excellentiæ, & heroicæ virtuti, ac denique sanctitati sacrum, insigniter, & in eminentissimo quodam prorsusque singulari gradu effloruisse, ac præcelluisse. Æquissimum quippe fuit, atque divinæ sapientiæ, imo & naturæ ordini consentaneum, ut qui optimâ corporis conformatione, tamque eximiâ pulchritudine præditus erat Christus Dominus; ita ut fulgor ipse & maiestas diuinitatis occultæ, quæ in eius facie relucebat, ex primo, ad se, videntes trahere posset ad spectu, ut loquitur D. Hieronym. cap. 1. comm. in Matth. Ille idem optimo, omniumque perfectissimo temperamento donaretur, quod cum sit sine controuersâ melancholicum illud, ad amissim exquisitum, ut antea probatum est, fuit profectò Christus Dominus, illo excellentiæ modo melancholicus; atque adeo temperamentum in cæteris hominibus, quorum est Christus Dominus exemplar & mensura, ad Philosophiam, scientias, sapientiam & artes, virtutes etiam heroicæ, imo & sanctitatem, magis idoneum erit melancholicum. Primum enim in vnoquoque genere lex est & mensura cæterorum. Sed hæc de hoc argumento satis; si quæ de Christi Domini pulchritudine ac figurâ veteres Christiani tradiderunt, curiosâ pietate adductus adiecero. Egregio is viuidoque vultu fuit, inquit Nicephor. postremo cap. lib. 1. hist. Eccles. Corporis statura ad palmos prorsus septem. (intellige maiores, quorum singuli continent pollices 12. ut notat Daniel Barbarus ad cap. 1. lib. 3. super Vitruuium, sic enim palmi 7. faciunt 8. nostræ mensuræ, quos octo testatur, indicatque manifestissimè Sacra Christi effigies, expressa in

sancto illo sudario, quod magna pietate & reuerentiâ asseruant Taurinenses, ita ut Christi Domini magnitudo fuerit octo palmorum, quæ sic pulcherrima est, hominiquæ decoram affert maiestatem, ut colligitur ex Vegetio capite quinto lib. 1. de re militari. Legendus interim ipse D. Hieronym. com. in Ezech. cap. 40. Cafariem habuit subflauam, ac non admodum densam, leniter quodammodo ad crispas declinantem, supercilia nigra, non proinde inflexa, ex oculis subflauescentibus mirifica prominebat gratia, acres ierant, & nasus longior, barbæ capillus flauus, nec admodum demissus. Capitis porro capillos tulit prolixiores. Nouacula enim in caput eius non ascendit, neque manus aliqua hominis, præterquam matris, in tenerâ duntaxat ætate eius. Collum fuit sensim decliue, ita ut non arduo, & extento nimium corporis statu esset: porro tritici referens colorem; non rotundam aut acutam habuit faciem, sed qualis matris eius erat, paululum deorsum versus vergentem, ac modicè rubicundam: grauitatem atque prudentiam cum lenitate coniunctam, placabilitatemque iracundiæ expertem, præ se ferentem. En sacri corporis Christi Domini venerabilem figuram, En augustam illam speciem, prorsusque admirandam dignitatem, en & maiestatem eius hominis, qui Deus est verique *θεογονος*, & *θεοπικος*, & cuius sanctissima mater est illa virgo *θεοτοκος* Maria, en illud *πνεῦμα θεομορφον*, & plusquam *αγαλμα της θεοτητας*. En ille rerum Archetypus, per quem facta sunt omnia, atque ut vno verbo dicam omnia, Homo Deus, & Deus de Deo, quem oramus supplices, ut sit in æternum noster, qui splendor est patris, beatorum gloria, & Sol empyræi cæli sempiternus.

F I N I S.